

~~Res~~
~~2.420~~

~~2~~
~~5~~
~~79~~

~~1302~~



~~Josephus III~~

~~Josephus~~
Josephus' Jure Leg. Anno 1574. mense
Augusto.

IOANNIS VASAEI BRV
genis Collectanea
Rhetorices

Handwritten signature

In gratiam eorum, qui grauioribus occupa
ti disciplinis, prolixiores ueterum comen
tarios euoluere non possunt.



ANNO M.D.XXXVIII.

Ioannes Vasaus candido Lectori. S.

Re ipsa comperi uerissimum esse, quod testa-
tur apud T. Liviū. T. Manlius Torquatus,
uix unquā bene succedere, quæ oculis agas
alienis. Nā cum principiū huius libelli typis
mādaretur: forte aliis negotiis, iisq; necessa-
riis districtus, correctioni uacare nō potui:
sed alterius opera uicaria sum usus: cuius dū
ego diligentia securus aliis incumbo, erro-
res aliquot admissi sunt: pauci quidē, sed in-
signes: eorū ego te Candide lector admonē-
dum duxi. Vale & boni consule.

Folio primo: fa. ii. circa si. lege. Inuentionis
sex sunt ptes. Exordiū, narratio: partitio.
Fo. iii. fa. ii. li. vi. lege: conclusio totius argu-
mentationis uel propositionis.

Fo. iiii. fa. ii. ult. li. lege quid nobis.

Fo. xi. fa. i. prope si. lege reprimenda sit imp.

Fo. xxx. fa. i. li. v. lege. Et quanquam necessi-
tatem Quintil. a deliberatione,

Reliqua errata si qua sunt, talia erunt: ut faci-
le quis sine monitore possit animaduertere.

AMPLISSIMO PRAESVLI
& serenissimo Principi ac Domino .D.
Henrico Infantī Portugalliae : Archiep̄
scopo Bracarēsi. Primati Hispaniarū : &c.
Domino ac Meccenati suo obseruandissi-
mo Ioannes Vascus. S.D.P.



Quidem nondum satis cōsti-
tūi Serenissime Princeps laudi
an uicio mīhi tribuendum sit,
quod concinnare huiuscemo-
di opus aut euulgare in animū
induxerim: in quo lucubrādo
neq; ullā inuētīōnis gloriā neq; ingenii laudē
mererer : sed operā tantūmodo ac diligētīā
mīhi possem uendicare. Deinde quod tenue
ac perexiguū munusculū & uix priuato amī-
co dignū: Celsitudini tuæ nūcupare nō du-
bitauerī: quā: si dignitatis atq; emīnētīae tuae
rationē p̄ eo ac debui, duxissem: nō nisi de-
rebus maximis & multo studio, ingenio, in-
dustria elaboratis appellare debuissē. Nec
ego cū huic opellae primum animū appuli,
ignorabā me rē maioris laboris, q̄ gloriā fa-
cturū: neq; dū aditōnē parauī: nō animad-
uertebā: melius me nomini meo cōsulturū;

faltē minus calūniæ laturū: si libellus exigu⁹
nō modo sine tuo nōle sed etiā sine meo tāq̃
spurius in lucē exisset: præsertim quū iam tū
prælagirem eū uelut Ephemeron partui nō
sup futurū: neq̃. n. eū habet genū ut uiuere
debeat. Sed alterū, ut hui⁹ opellæ aut cōcin
natione aut ædicatione abstinere: integrū mi
hi nō fuit. Nāq̃ auditores mei q̃bus aliquot
sā annos in hac Salmaticensi Academia tum
bonos autores enarro: tū uero Rhetoricen
trado: cū ex lectionibus meis cognoscerent
omnē bñdicēdi ac scribēdi rationē & facul
tatē ex rhetoricis præceptis uelut fontib⁹ q̃
busdā pennib⁹ emanare: neq̃ minus oratio
nē temere effusam quā harmoniūm numeris
suis nō cōstantē: aures animosq̃ hominū of
fendere: precib⁹ a me cōtēderatq̃ adeo fla
gitare nō destiterūt: ut quæ in lectionib⁹: de
clamationibus: atq̃ aliis scholasticis exercita
mētis a me audissent: ea in cōmētariū unum
collecta typis mādare: unde possent: quæ tra
dēte me audissent: cōmodius mādare memo
riæ atq̃ i usū suū exercitādo cōuertere: quæ
mihī uidet̃ multo maxīma studiorū utilitas.
Cæterum quū illos ego ad Ciceronē, Quin
tilianū aliosq̃ maiorū gētū autores remitte

rē: atq; ex ijs fontib⁹ hæc omnia puri⁹ & u-
beriore tū fructu, tū uoluptate quā ex meis
lacunis hauriri contenderē: nihil a me dictū
qd' nō eorū libris & copiosius & eloquētius
cōprehēdat: non solū excusationē meā non
audierūt: sed etiā ardētius institerūt: ut uolū-
tatē eorū ne aspernarer: q; grauioribus occu-
pati disciplinīs non tantum habebāt ocīi, ut
fufos ac plixos autores uersare possent: neq;
enim posse se in hoc studii genere nisi succifi-
uas horas & parergon, ut aiūt, studiū pone-
re. Proinde cū diu recusans nihil p̄fecissem:
tādē in sententiā me suā uolētē nolētē p̄tra-
xerūt. Erāt enim ita frequētes: ut uel uim fa-
cere possent: & alioq; tales & tam bene de me
meriti: ut eorum neque beneuolentiā er-
ga me ignorare: neq; autoritatē aspernari,
neq; uoluntatē negligere deberē. Quare cū
eo rē redisse animaduertē, ut aut ea mihi
fufcipiēda res esset, aut officium necessitudi-
nis repudiandū: malui in eā peccare partē: ut
parū cōsideratus quam ut parū officiosus ui-
derer. Nūc mihi grauior restat dicēda causa
ac sustinēda: quod clarissimū & amplissimū
nomen tuū tā exili & spōgia quam typis di-
gniore opella non sim ueritus quodāmodo

pphanare. Quod sane non alio feci cōsilio,
quā quo Cyziceni olim (si Diogeni Cynico
credim⁹) Herculis nomē forib⁹ suis iscribe-
bāt, hoc epigrāmate. Hercules hīc habitat,
Intret in hāc domū nihil mali. Existimabant
se nullo fortunæ incōmodo posse uiolari, si
nomē haberent huius Diui suis & dibus præ-
fixum: Sic ego quū non dubitarē futuros, q̄
hanc meā lucubratiunculā tacito cogitatio-
nis conuicio, atq; etiā calumniis apertis uer-
berarēt: Amplitudini tuæ inscribere consti-
tui: ut si q̄ calūniā di animo ad eā accederēt,
continuo sanctissimi nominis tui numine a-
uerterent. Hērīcus Princeps hīc habitat, ne
mo huc calūniator penetret. Quod ut face-
rem duo me potissimū impulere: Primum q̄
tantā mihi humanitatis tuæ ac modestiæ si-
gnificationē nup̄ Conymbricæ dedisses: ut
mihi nō desperādū arbitraret: q̄ tenue opu-
sculum a cliente tui studiosissimo ea esses ani-
mi serenitate acceptur⁹, qua olim Q. Metel-
lus poetis etiā pingue sonantibus ac peregrī-
nū aures suas dedit, & L. Sylla mali poetæ
nō optimos uersus non solū accepit, sed ali-
quo etiā premio dignos duxit. Cuius mihi
liberalitatē tāto superasse uideris, quod me

etiã ante ullũ animi erga te mei præbitũ spr
ciniẽ:& amplissima istuc spe p Nicolafũ Cle
nardũ uariis ingenii dotib⁹ & multa eruditio
ne ac uitæ pbitate tibi & bonis omnibus cõ
mẽdatissimũ inuitasti & liberalissime donatũ
Conymbrica dimisisti:ut omni merito pos
sim indign⁹ beneficio cẽferi:si nõ omnes in
genii neruos contẽderem:ut aliquod quale
quale grati ac memoris animi documẽtũ da
rem:& q primus de ornãdo atq; honestãdo
Vasæo cogitarit:ei primitias ingenii mei
quãtũcunq; pœnitẽdas consecrarẽ. Alia por
ro causa me adduxit:ut Bracarenfi iuuẽtuti
cui hæc collectanea nonnihl profore existi
mo, illustrissimi nominis tui commẽdarenẽ
illecebra:neq; enim quicq;, quod qdẽ nomẽ
tuũ præ se ferat:nõ poterit ei non esse cõmẽ
datissimũ:q; omnis eius felicitatis fuisti:quẽ
admodũ ait ille apud Comicũ:inuẽtor:ince
ptor, pfector.& cõsentaneũ est, ut ego quo
que post hac illius non postremã rationẽ ha
beã, cui⁹ tu studiis formãdis me pesse uoluf
sti:& tãto diligẽtius habeã:quãto tu maiore
cura incũbis:neq; ullis impẽsis parcis:ut Bra
carã tuã iã olim Augustã teste Plinio cogno
minatã, literarũ gloria reddas multo Augu

stiorē. Pro q̄ re quātū laudis merearis & glo-
ria: neq; præsentis est instituti dicendo p̄se-
qui, neq; mearū uirū: & alioq; laudes tuæ tā-
tæ sunt ac tales, ut nec mea p̄dicatione pos-
sint amplificari, neq; extenuari silentio, &
alios habes in familia tua: uiros doctos &
multa eloquentia præditos, quibus ego ue-
lut exercitatoribus & peritoribus hoc mu-
nere libenter cedo: quanquam laudes tuæ
ipsæ se p̄dicabūt: ipsæ se loquēt: & nulla unq̄
de iis conticescet ætas. Accipe igit̄ serenissi-
me Princeps cōmētariolū hūc sacratissimo
nomini tuo dedicatum: partim ut memoriā
aliquā tuorū erga me meritorum seruare uī-
derer: partim ut ex illustrissimi nominis tui
splendore aliquid illi & lucis adiungerem, &
gratiæ conciliarem: quem si sensero Celsitu-
dini tuæ non ingratum fuisse, maiora alia
studiis per ætatem maturescētib; in publi-
cam studiorum utilitatem olim aggrediar,
fortunāte conat⁹ meos domino deo, q̄ pro
sua clementia dignet̄ Illustrissimā Amplitu-
dinē tuā in communē studiosorū & totius
Reip. utilitatē quamdiutissime seruare inco-
lumem. Salmaticæ. XV. Calendas Maias.
Anno salutis nostræ. M. D. XXXVIII.

COLLECTANEA RHETORICES
per Ioannem Vasæum
Brugensem.



Rhetorica est bene dicendi scientia. Cuius materiam Quintilianus esse dicit res omnes de quibus dicendum est. Cæterum quandoquidem confusa erat & infinita

rhetorices materia, a prudentibus uiris redacta est ad tria genera dicendi. Demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale.

Demonstratiuo laudamus uel uituperamus rem uel personam.

Deliberatiuo suademus uel dissuademus, adhortamur: dehortamur: monemus, petimus, respondemus ad petitionem, agimus gratias (tametsi gratiarum actionem aliqui ad genus demonstratiuum referunt) consolamur, comendamus, conciliamus, reconciliamus.

Iudiciali accusamus uel defendimus, obiur-
gamus, expostulamus, purgamus, expro-
bramus, inuehimur:

Vt uero tria hæc genera bene conuenien-
terque tractentur: requiruntur in oratore
quinque inuentio, dispositio, elocutio, me-
moria, pronuntiatio. Debet enim orator (ut
ait Cicero) reperire primum quid dicat, de-
inde non ordine solū, sed etiā iudicio dispo-
nere, tum ea deniq; uestire atq; ornare ora-
tione: post memoria sepere: ad extremum
cum dignitate & uenustate pronuntiare.

Hæc quinque tribus consequemur modis: ar-
te: imitatione: exercitatione: Si diligenter
præcipua artis præcepta perdiscamus: dein
de exacto iudicio: autorem aliquem eligamus
atq; ad illius imitationem nos componamus: po-
stremo assidua dicendi & scribendi exercita-
tione nobis artis usum comparemus.

Sex
Diuisio
1. Inuentionis ~~quædam~~^{quædam} sunt partes. Exordium:
narratio: confirmatio: refutatio: peroratio:
Primo dicemus quomodo hæc partes atten-
perari debeant generi iudiciali: in aliis quo-
que generibus idem porro facturū.

Exordium est quo auditorem: ut nobis in cæte

ris partibus accommodatior fit: p̄paramus.
Exordiū diuidit ī p̄ncipiū & insinuationē.
Principio auditores attentos reddimus, &
dociles ac beneuolos.

Beneuolos facimus a nostra, ab aduersario
rum, a iudicis persona & ab ipsa re: a cuius
etiam nouitate: dignitate & utilitate atten-
tos facimus: atq; hæc ipsa attentio docilem
præstat auditorem: quemadmodum & illud
quoq; si breuiter & dilucide summam rei de
qua dicturi sumus, indicemus.

Exordiū attēperādū est p̄ qualitate causarum.
Quatuor autem ponunt genera causarum:
Honestum: turpe, dubium & humile.

In honesto possumus principio uel uti uel
non uti: res enim per se commendabilis est.
In turpi: si uel ut uocat Sulpitius Victor, ad
mirabili: remediis opus est, & insinuatione:
de qua mox dicemus.

In dubio: quod inter turpe atq; honestū am-
bigit, iam inde a principio beneuolētiam ca-
ptabimus, ne quid illa turpitudinis pars no-
bis obesse possit. Huius generis exēplū sit: si
quis Horatiū defendere uelit quod sororem
in publico gaudio lugentem occiderat.

In humili, hoc est abiecto & contempto, quemadmodū si quis exemplo Luciani muscam laudet: modis omnibus debemus attentionem comparare: pollicentes nos demonstraturos rem esse multo maioris momenti quam prima fronte præ se ferat.

Insinuatio est quando uel causæ nostræ uel auditorib⁹ diffisi paulatim per dissimulationem ac diuerticula quædam surrepimus animis eorum quibuscum agimus: quemadmodum fecit eleganter Cicero pro. Q. Ligario. Est & elegans exemplū insinuationis apud Erasum de copia rerum. cap. de rhetoricarum partium multiplicatione circa mediū. Tria sunt tempora in quibus uti debemus insinuatione: quando habemus causam turpem: tunc enim dicimus rem non hominem spectari debere. aut hominem non rem: aut rem pro re: aut hominem pro homine. Quando auditor est nobis infensus: aut ab aliis persuasus, quod in dandis consiliis & admonitionibus sæpe usu uenit, ibi primo illud expediet diluere, quod aduersarius præcipuū causæ suæ firmamentum existimabat. Quo modo uero oporteat in admonitionibus &

dādis cōsiliis insinuationē facere: quæ res his potissimū est necessaria: qui magnis principibus sunt a confessionibus aut a consiliis, eleganter docet Erasmus in libello de conscribendis epistolis: de epistola monitoria. Postremo locus est insinuationi: quoties auditores sunt aliis rebus aut etiam aliis audiendis defatigati, ac tunc operæ præciū fuerit breuitatem polliceri, & fabella aliqua festiua molestiam illam ex animis illorum discutere: perinde ut Demosthenem fabella illa de asini umbra fecisse legimus.

Præterea admonet Quintilianus non inutilem esse exordio rationem occupandi, quæ uidentur obstare: quod Cicero cum alias tū uero in Diuinatione scite admodū fecit: quū dicit scire se, mirari quosdam: quod is qui per tot annos defenderit multos, læserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit. Quanquam latini rhetores quos equidē uiderim non faciant mentionem œconomiae exordii præter Trapezuntium & aliū neotericū, soli uero Græci, neque illi omnes hac de re præcipiant: tamē quum uideam Ciceronem in plerisque orationibus illorum præ

cepta sequutum, non omittendū duxi quatuor esse apud Græcos partes exordiū. Pro-
tasin: quæ est propositio quædā generalis.
Post hanc sequitur Catastrophe, quæ est ratio
illius propositionis, deinde Apodosis, quæ
est confirmatio rationis & conclusio totius
epilogi. Postremo Axiosis, hoc est petitio,
ut nos de hac re ppter talē causam talibus ra-
tionibus subnixā dicētes beneuole & attēte
audiāt. Trapezūtius uocat expositionē, ra-
tionem, redditionē, comprobationē: tāetsi
hæc postrema pars ab autoribus tū Græcis
tū Latinis potius cēset Petitio. Exemplum
est in oratione p Archia poeta: in qua prota-
sis est. Si qd est in me ingenii Iudices, cū to-
ta periodo: hæc enim est propositio (nā Cice-
ro p amplificationem exornat) Si quid est in
me eloquētiae aut ingenii Iudices, id totum
Archia: poetæ pdesse debet. Ratio seu Ca-
tastrophe. Nam ille mihi studiorum autor ex-
stitit: hoc Cicero sic exornat. Nā quoad lon-
gissime: cum tota clausula. Conclusio siue
Apodosis. Si igitur eloquentia mea aliis fuit
usui, multo magis debet seruire præcepto-
ri suo. Hoc Cicero sic dicit. Quod si hæc

argumenta
videntur, uel
rationis pro
positionis

4
uox. &c. Axioſis ſiue petitio. Proinde uos
oro, ut me præceptorem meum ea eloquen
tia quam ab illo conſequutus ſum defenden
tem attētionē beneuola proſequamini. ibi.

Quæſo a uobis. Neq; miret̄ quiſpiā, quod
tantum in hac Ciceronis oratione Axioſis
diſtet ab Apodoſi: nanq; apodoſi ſeu con
cluſioni frequenter ſubiungitur una propo
ſitio aduerſatiua, ut uidere eſt ibi.

Exordium erit uitioſum, ſi ſit longum aut
uulgare. id eſt ſi in plures cauſas accommodari
potest, ſi ſit commutabile, ut aduerſari⁹ in
ſuam utilitatem deſlectere poſſit. aut com
mune, ut etiam aduerſari⁹ eo poſſit uti, aut
ſeparatum, ut cauſæ non cohæreat, aut
tranſlatum. hoc eſt aliunde tractum: aut cō
tra præcepta.

Narratio (de ciuili tātum hic loquimur) eſt
rei factæ aut non factæ utilis ad perſuaden
dum expoſitio. debet eſſe breuis, ut audi
tor poſſit meminiffe: dilucida, ut poſſit in
telligere: ueriſſimilis, ut habeat illi fidem.
Poſtremo debet conſtare ex huiuſcemodi
uerbis, quæ ſint tanquam ſeminaria quæ
dam futuræ argumentationis: eſt enim, ut

ait Cicerō, narratio quædam quasi fedes ac
fundamētum constituendæ fidei. Huius rei
optimū exemplum est apud Ciceronē p
Milone: & Q. Ligario.

Breuis ac p̄sp̄icia erit narratio: si neq; pau-
ciora q̄ oportet, neq; plura, neq; inordinata
neq; indistincta dicamus: & uerbis utamur
propriis & significantibus, neque ab usu re-
motis: præterea si rebus, personis, temporibus,
locis, causis etiam distinguamus.

Verisimilis erit & probabilis, si personis, si
tēporibus, si locis, ea quæ narrabuntur: cō-
sentient: si cuiusque facti & euenti causa po-
netur: si testata dici uidebuntur: si cū homi-
num opinione, cum autoritate, si cum lege:
cum more, cū religione coniūcta, si p̄bitas
narrantis significabitur: si antiquitas, si me-
moriam, si orationis ueritas & uitæ fides.

Narratiōi Aphthonio teste accidunt sex. Per-
sona agēs, res gesta, quo tempore gesta sit,
locus in quo transacta: mod⁹ quomodo: cau-
sa p̄pter quam. Exemplū est elegans in ora-
tione Ciceronis p̄ Sex. Roscio Amerino.

Diuisio seu partitio est, in qua declaramus,
quid nobis cū aduersario cōueniat, & qd nō

atque etiam de quibus rebus sumus dicturi.
Diuisionis duæ sunt partes. Enumeratio &
 expositio.

Enumeratio est quæ dicimus quot de rebus
 sumus dicturi: eius præcipiunt quidam ne sint
 plura membra tribus: quod quanquam Quin-
 tiliano non probat: tamē Cicero plerisque in
 locis. obseruat. ut p. P. Quintio. pro Sexto
 Roscio Amerino: pro lege Manilia.

Expositio, quam nonnulli propositionē uo-
 cant, est quæ breuiter exponimus de qua
 re sumus dicturi. eius exemplum est pro. M.
 Marcello & aliis plerisque omnibus.

Confirmationis & confutationis eadem est
 ratio: ex hisdem enim locis tractatur, quem
 admodum testatur Aphthonius: qui confu-
 tationis hos enumerat locos: calumniā au-
 toris, expositionem rei, obscurū, incredibi-
 le, impossibile, indecēs, inconsequēs, inuti-
 le, epilogū breuē. Cōfirmationis eosdē a cō-
 trario: ut laudē autoris. &c. Exēplū erit cō-
 firmatio aut cōfutatō alicui⁹ fabulæ poeti-
 cæ quemadmodum tractat Aphthonius.

Loci confutationis ita tractandi sunt ut cō-
 tētio per singulos gradus augetur: magnū

enim est aliquid non factum ostendisse, ma-
ius non esse uerissimile, maximum fieri non
potuisse. Si alius uolet surgere exercitatio
ad locos suasorios se conferet, declarans q̄
fit inutile, quam inhonestum, quam non ne-
cessarium, quam impossibile. Aut etiam ad
locos iudicialis absolutæ: esse contra natu-
ram: contra leges. &c. de quibus omnibus suo
loco dicemus. Pro exemplo erūt confirma-
tiones & confutationes Ciceronis.

Illud interim animaduertendum, nō omnes
locos in omnem materiam conuenire: sed
ubique opus esse adhibito iudicio:

Cæterū ad tractationem confirmationis &
confutationis maxime necessaria est consti-
tutionum cognitio, quæ non iudiciali tantū
generi seruit, sed etiam deliberatiuo & de-
monstratiuo, quemadmodum luculēter do-
cet Cicero in fine topicorū ad Trebatium.

Constitutio seu status est oratio continens
accusationem & defensionem, uel intentio-
nem & depulsionem, hoc modo: fecisti, nō
feci: fecisti, feci sed iure feci.

Ea diuiditur in tres species: Coniectura-
lem, legitimam, iudicialem Quintilianus

*is est omnis aut de premo, aut de
paena, aut de calitate: 1. qu. 11. 11.*

statum qualitatis appellat.

Coniecturalis quādo est controuersia de facto: quā in ea debem⁹ cōficiēdo & argumētādo ad rei ueritatē puenire: ut fecisti: nō feci.

Legitima quā de nomine facti aut de scripto contēdit: ut minuiſti maiestatē Reip. Non minui. Nascit^r quæstio an minuerit: ad quā soluendā opus est diffinitione qd fit minue re maiestatē. Item. Cn. Pōpeius est summus

Imperator. Nō est summus Impator. Quæstio an sit summ⁹ Impator: hic opus est diffinitione: qd dicatur summus imperator: hoc exēplū mire tractat Cicerō p lege Manilia.

Legitimæ cōstitutionis sunt sex partes: scriptū & sententiā, quādo dicimus nō spectāda uerba legis, sed sententiā & uoluntatem legislatoris. Exemplum est elegantissimum apud Ciceronem p A. Cecinna.

Cōtrariæ leges quū legi ul' autoritatī cōtra nos allatæ aliā contrariā opponimus: ut lex erat, Qui templū Cereris intrauerit: oculos amittat. Itē alia: Qui parenti auxilium non tulerit, capite puniatur. Qui matri in templo Cereris uapulanti suppetias uenit, accusatur altera lege, defendit se altera:

Ambiguum quoties uerba legis uel testamēti uel cuiuscunq; scripti dubiam habēt interpretationem: ut hæres meus uxori meæ uasforū argēteorū pondo centū quæ uolet, dato. hic uerbum sine supposito positū dubiā facit electionē inter hæredē & uxorē.

Diffinitio, quoties quæritur quo nomine debeat appellari crimen: ut qui pecuniam publicam ex loco priuato sustulerit: utrum debeat accusari furti an peculatus.

Translatio quando non apud talē iudicem tali tempore aut loco, aut non a tali fuisse accusandum dicimus: Iurisconsulti exceptionem uocant.

Ratiocinatio quādo nō a lege expressa, sed alterius legis similitudine argumentamur, ut qui matrem occidit, postulatur ad poenam statutam occidētī patrem. etiā si lex de ea nihil dicat. Multa exēpla ponit Quintilianus libro septimo capit. nono.

Tertia constitutio est iuredicialis in qua disceptatur de qualitate facti: ut fecisti, feci sed iure feci: ea est duplex.

Absoluta, quando factū p se potest defendi
Assumptiua, quando factum per se impro

babile, assumptis extrinsecus auxiliis tue-
 mur. Eius quatuor sunt ptes. Cōcessio, trās-
 latio criminis, remotio criminis, cōparatio
 Cōcessio quando reus postulat sibi ignoscere
 quia uel imprudēter, uel fortuito, uel neces-
 sario fecerit, uel quādo deprecatur culpam.
 Trāslatio criminis quum aliorum peccatis
 nos coactos fecisse dicim⁹: in ea inqt Quinti-
 lianus omnis nostra defensio constat eius ac-
 cusatione, qui uindicat: occidit sed latronē:
 occidit Clytemnestram, sed illa prius Aga-
 memnonem patrem meum interfecerat.
 Remotio criminis, quādo causam delicti in
 in personam aut rem aliquam conferimus,
 uelut si peccatum aliquod excusamus, quia
 iussu illorū fecimus, quibus mos erat geren-
 dus, uel si excusamus nos per uisgilio alicui⁹
 Apostoli nō ieiunasse quia febricitaremus.
 Cōparatio quū dicimus e duob⁹ necessariū
 fuisse alterutrum facere, ut si quis accusanti
 quod Principis dicto audiens non fuisset: fa-
 teretur crimen, & prætenderet, quod alio-
 qui dei mandatum erat negligendum.
 Inuenta constitutione continuo quærenda
 est ratio instituti seu facti nostri: ut occidit

sti Clodiū, occidī sed iure occidī: ille enim
insidias uitæ meæ posuit.

Posita ratione quarendū est firmamentū,
idest, illud quod aduersarij ad labefactandā
nostrā rationē referūt: ut occidisti Clodiū:
occidī, sed iure occidī, est constitutio. Ra-
tio est; ille enim insidias posuit uitæ meæ.
Sequitur firmamentum. Sed non abs te ne-
que indemnatum occidī oportuit.

Ex rationis autem & ex firmamenti confi-
ctioe & quasi concursu quæstio exoritur
quædam, quam Græci Crinomenon, Latī-
ni iudicationem: Cicero etiam disceptatio-
nē appellat. An Milo potuerit Clodiū indē-
natum occidere, quia insidias uitæ ipsius i-
fecerat. Quanq̄ Quintilianus libⁱ. tertij cap.
ulti. uerius & breuius præcipere dicat q̄ sta-
tū siue constitutionē & iudicationē idē esse
uolūt. Vt ut est inuēta cōstitutione seu iudi-
catione conferēda est ad illius probationem
omnis eloquētiae uis: q̄a ab illa tāq̄ a cardine
quodā pēdet omne negocium.

In coniecturali uero cōstitutione neq; ratio
est neq; firmamētū. Nemo enim, ut ait i Par-
tionib⁹ Cic. Jcī⁹ qd̄. negat factū, rationē po-

test aut debet aut solet reddere. sed i ea ex in
 tētiōe & depulsiōe hoc est cōstitutiōe na
 scit iudicatio: ut p Sext. Rosc. Amer. Inten
 tio est: occidisti patrē tuū. Depulsiō: nō oc
 cidi. hinc nascit iudicatio in animo iudicis.
 An Sex. Rosc⁹ Amerinus occiderit patrē suū
 Possunt unius causæ quandoq; plures esse
 cōstitutiōes: ut p Milone. Occidisti Clo
 diuni: occidi: sed iure occidi: cōstitutiō est
 iuredicialis. Rursum: ille fecit insidias uitæ
 meæ: non fecit: cōjecturalis est.

Cæterū in omni causa non solū animaduer
 tēda est cōstitutiō, sed etiā totus ille syllo
 gismus, cui causa innitit: ut p lege Manilia:
 totius orationis materia huic syllogismo in
 cluditur. Ad bellū grauissimū & periculosis
 simū debet mitti summus Imperator: Bellū
 Mithridaticū est grauissimū & periculosissi
 mū: & Cn. Pōpei⁹ est sūmus Imperator: igit
 est Cn. Pōpeius mittēdus impator ad bellū
 Mithridaticum. Quicqd præterea est in to
 ta illa oratione ad ornatū ptinet rhetoricū.
 In huiusmodi uero syllogismo minor pposi
 tiō, siue ut alii uocāt, assūptiō ut plurimum
 est pbanda, & conclusio fere est principalis

constitutio causæ. Hic obiter annotandum, plurimū cōducere ad iudicium comparādū & intelligēdas autorū uirtutes, explicare argumentationes autorū, & conclusionē propositionemq; earū ex orationis cumulo colligere, nā sæpe teguntur & in ipsa dicēdi copia delitescunt uel uariis dicendi figuris; occultantur. Huius rei modū tradit admodū scite Rodolphus Agricola lib. de inuen. dia lect. 2. cap. xix. Idē etiā annotauit li. iiii. cap. xiiii. Oratores interdū cōuertere totū; propositionum ordinem, ut conclusio præponatur propositioni maiori, quod & ipsum ad intelligendam in autoribus argumentandi rationem diligenter est animaduertendum. Sed ad institutum reuertamur.

Declaratis ad hunc modum diffinitionibus ac diuisionibus constitutionum, restat dicendum quo quæq; modo debeat tractari, quā rem qui copiosissime tradunt, coniecturam diuidunt in uoluntatē & facultatē. Quisq; enim rem aliquam facturus est, is primum debet uelle, deinde etiam posse.

Voluntas diuiditur in impulsionem & ratiocinationē. Impulsio cōtinet motus animo;

rum, ut si dicamus Clodiu occidere uoluisse Milonem, quia odio prosequeretur illum. Ratiocinatio constat ex commodorum aut incommodorum consideratione, quae nobis possunt ex aliqua re obuenire. Sic Cicero pro Sex. Roscio: probat Sex. Roscium non occidisse patrem suum: quia neque unquam illi male uoluit: neque ex illius morte quicquam sperare potuit commodi: in Titio Roscio omnia fuisse contraria: proinde ab illis occisum esse. Facultas diuiditur in signa & circumstantias.

Signa hic appello tam ea, quae Cicero proprias rerum notas appellat: quod nunquam aliter fiunt, certumque significant: ut fumus est signum ignis: partus est signum concubitus: & si quod die Romae fuit: Salmanticae occisus est aliquis, certum est a me non esse occisum: quia quae idem uersimilia appellat, quod plerumque ita fiunt, ut amare aliquem quia palleat, potest enim & ex infirmitate pallere.

Signa diuiduntur in antecedentia & consequentia. Ab antecedentibus argumentatur Cicero Sex. Roscium non occidisse patrem, quia & ille multis ante annis Romae non fuit, & nullum ibi familiarem habuit, cuius uicia

*propria, quae
dialectici appella-
unt proprias
rerum passionis*

ria opera posset uti in caede paterna. Sic quoque Milonem probat noluisse occidere Clodium ab antecedentibus hoc est, a ratione & apparatu profectiois.

A consequentibus probat Sextum Roscium non occidisse patrem, quia post mortem illius postulauit etiam proprios seruos in quaestione dari. Quam orationem & pro Milone, ac P. Quintio legat, quae quis doctam & utilem tractatae coniecturae rationem desiderat, quam Cicero ubique est in hac parte admirabilis. Circumstantiae comprehendunt hoc uersiculo. Quis, quod, ubi, quibus auxiliis, cur, quo modo, quando. Debemus enim examinare in omni facto, quis fecit: & hic rursus expendere attributa personarum de quibus in genere demonstratio dicemus, deinde quid fecit, in quo loco: cum quibus: ob quam causam, quo modo, quibus instrumentis & quo tempore. Cice. in oratione pro Marco Caelio, coniecturas uocat latebras suspicionum, & has enumerat, Vitam antea factam, causam, locum, tempus, facultatem, conscios, perficiendi occultandi que spem, rationem, uestigium facinoris. Sed omnia eodem recidunt.

Hæc cōiecturæ ratio nō solū generi iudicia
 li seruit, sed etiā deliberatiuo, ut si uelimus
 aliquæ adhortari ad studiū literarū: hinc po-
 terimus sumere argumentū, dicēdo, In illo
 non deesse facultatem, habere enim multas
 studiorum occasiones, parētes literarū amā-
 tes, & qui benigne sumptū studiis suppedi-
 tabunt, esse ætate literarū capacissima: habi-
 tare ī loco studiis aptissimo, inter præcepto-
 res doctissimos, & sodales studiosissimos: nī
 hīl porro desiderari præter uolūtātē: eā ue-
 ro affuturā, si consideret quam amabilis &
 desiderabilis res sit sciētia: deinde quātū ex
 ea honoris & utilitatis consequi possit. Diu-
 tiuscule immoratus sum coniecturæ: ppter
 ea quod mihi uidetur tum ad eloquentiā tū
 ad prudentiam plurimum conducere.

Sequitur ea constitutionis legitimæ pars,
 quæ dicitur scriptū & sentētia, uelut lex e-
 rat: Peregrinus murū ne ascēdat, si ascende-
 rit: capite puniatur. Cū hostes in urbē impe-
 tum facerent, peregrinus eos e muro depu-
 lit, petitur ad supplicium capitis: hīc est con-
 trouersia ex scripto & sententia. Nam actor

accusator

reus siue defensor illius dicit nō uerba legis
sed uoluntatem & mentem legislatoris esse
animaduertendam. Hic præcipue debemus
excutere causas, effectus, circumstantias, &
pugnantia, hoc est, quare fecit, quid succes-
sit ex hoc facto, quādo & ubi & reliquas cir-
cunstancias. Deinde quid intersit hoc an illo
tempore sit factum. Sed paulo tum diffusi⁹
tum luculentius hac de re scripsit Sulpitius
Victor imitatus Græcos, & ponit hos lo-
cos. Propositionem scripti, quando recita-
mus uerba illius. Interpretationem scripti
per eum locum q̄ uocat, A summo ad imū:
in quo p̄sequimur ordinē & signa totius rei.
Par: in quo quærim⁹: nihil ne intersit hoc an
illo tpe sit factum. Maius, quod etiā tūc ma-
gis uel liceat uel castigandum sit. Legislato-
ris uoluntatem, quid senserit quum illā scri-
beret. Finem seu diffinitionē causæ nostræ
accommodatam. Translationem, in qua ex-
cutimus num nam potuerit sua autoritate
id facere, an debuerit a senatu ueniam pete-
re. Postremo uoluntatem rei, quo animo id
fecerit & qualitatem facti conclusiuā. Atq;
his locis, quanquam a Græcis potissimum

tractentur: etiam Ciceronem usū reperiet,
 quisquis orationem eius p A. Cecinna dili-
 genter excusserit. Sed quo res clarior sit, ac-
 cusationem huius peregrini cuius superius
 mentionem fecimus: his locis attempemus.
 Primo loco ponenda est lex ipsa cum lau-
 de legislatoris. Secundo interpretamur il-
 lam, quod nullum peregrinum, nullum tē-
 pus, nullam causam, excluderit: sed omnibus
 ex æquo pœnam capitis præscripsit, addi-
 mus simul narrationem huius facti, quod ac-
 cusamus, sed illam causæ nostræ accommo-
 datam, hoc est ex uerbis suspiciosam con-
 flatam. Debet enim narratio accusatoris esse
 quemadmodum ait Cicero, quasi membra-
 tim gesti negotii suspitiosa explicatio. Ter-
 tio dicimus par esse peccatum eius q̄ tempo-
 re belli atq; illius qui pacis tempore huic le-
 gi non pareat, atq; ideo pari supplicio con-
 stringendum. Quarto quod etiam tum gra-
 uius imprimenda sit improborum hominū
 libido & audacia, cum ppter bellicos tumul-
 tus quibus sibi licere putat quicquid lubet,
 nusquā periculosius in leges peccari: quam
 tunc: atque hic facile patebit speciosus am-

plificandi campus. Quinto declarabimus eam
fuisse legislatoris uoluntatem, ut ne belli
quod tempore liceret, cuiquam peregrino mu-
ros conscendere, maiorem enim atque a-
deo certiore esse spem in omnibus simul
ciuibus: quam in uno atque altero peregrino,
immo uero superfluum esse unius atque al-
terius open inter tot ciueis fortissime pro
patria pugnantibus. Sexto quid iste? num
peregrinus? num muros conscendit? Quid
est legem irritam facere, si hoc non est? Se-
ptimo utimur translatione, quam Graeci me-
talepsin uocant, hoc modo. Sed demus ad-
uersarium uoluisse nostram urbem defende-
re, tamen non debuit hoc modo, aut si ali-
ter fieri non posse existimabat, debuit a Se-
nату ueniam petere, praesertim quum id fa-
cile posset. Octauo rapimus in suspicionem
uoluntatem rei, ac dicimus non esse creden-
dum, quod peregrinus homo non semper
peregrinus fuerit, hoc est, non potius ho-
stibus peregrinis fauerit, quam ciuibus no-
stris: imo suspicandum & credendum, quod ideo
muros ascendit, ut inde hostibus signum daret,
& rationem capiendae urbis monstraret.

De Inuitis

Translatione

atq; hinc si qua occurrent ex historiis prodigiorum exempla erunt amplificanda. Nono concludimus ad hunc modum. Quum hæc ita sint, non potest non dici audacter, pterve, nequiter factū: neq; potest sine summo reip. detrimento, tanta audacia impunis esse. Locus cōmunis contra eos qui posthabitis verbis legis, sententiam ad suam libidinē detorquent: ubi convenit adhortari iudices ad cōservandas leges, ac dissidere de periculo rerū publicarum ac priuatarum, si leges non suis verbis, sed aliena libidine ponderentur. Hactenus accusauimus, nunc uideamus quomodo possimus ex eisdem locis defendere. Primo uerba legis sunt proponenda cū encomiastica præfatione legislatoris. Deinde interpretanda legis uerba, quod nō cōprehendat omnes peregrinos: nō hūc & alios qui seruādæ reip. causa id faciūt, nō enim fuisse legistatorem tam inimicum patriæ, ut eis qui salutem reip. curæ & studio haberent, supplicium constitueret, sed de instantum sensisse, qui tempore pacis nulla urgente necessitate, curiositatis gratia aut ad explorāda urbis munimēta hoc facerēt,

Conclusio

Locus communis est res facte et iam concessæ exagenerio

Involutoria

quod quidem non expressit, quia superfluum
putauit exprimere quæ p se satis notæ erant.
Tertio confirmare conabimur, quod non idem
sit tempore pacis & belli muros conscende-
dere, cum necessitate, quæ legem nescit, &
sine illa hoc facere. Quarto, quod magis ac-
cusandus & puniendus erat, si tali tempore
non conscendisset, & cuius urbis tam beni-
gno fuisset usus hospitio: eius salutem qua-
cumque potuisset ratione non curauisset: Quin-
to, quod non fuerit animus legislatoris quæ-
quam a propugnatione ciuitatis detertere.
Voluntas autem legislatoris ex tribus locis
perpenditur: quemadmodum ait Zopater
Hermogenis interpret. A tempore quo le-
gem tulit, a re de qua lata est lex: a causa fe-
rendæ legis. A tempore, non in bello sed in
pace muros ascendere uetuit, quando non
propugnandi, sed speculandi tempus erat.
Ab ipsa re: non uetuit pugnare pro ciuitate
tuenda, sed explorare munimenta, & situm
& magnitudinem urbis. A causa, non tulit
hanc legem, ne quis fortiter se p Repub. ge-
reret: sed ne a peregrinis aliqua fieret prodi-
tio. Sexto: non debet peregrinus haberi, sed

plusquam ciuis, qui uitam suam exponit pe-
 riculo p incolumitate illius urbis quã habi-
 tat. Septimo, dicemus nos mirari, quod nõ
 pudeat aduersarium dicere, petẽdam prius
 fuisse ueniam a Senatu, quã in eo statu uer-
 saretur Resp. ut si paululum modo moratus
 fuisset, iã conclamata fuerit eius salus. Octa-
 uo: non tantum spectandũ quid fecerit, sed
 etiam quo animo. Animus autem & uolun-
 tas rei optime colligitur ab effectis & euen-
 tu. Exemplũ hoc ponit Hermogenes quod
 nunc tractamus. Euentus autem & effecta
 hic salus fuit Reip. alioqui periclitantis. Po-
 stremo quum euentus doceat quo animo fa-
 ctum sit, & ille ciuitatem in tanto periculo
 constitutam defenderit, non posse nõ opti-
 me factum iudicari. Atq; hic patet locus cõ-
 munis ad commiserationem: indignissimũ
 esse pro iis factis, quibus nulla poterat par
 gratia rependi, de uita & fortunis omnibus
 dimicare. Et alius. Omnem æquitatem per-
 turbari, si uerbis legum ac non sententiis pa-
 reamus, quem uenustissime tractauit Cice.
 pro Cecinna. Et hanc quoq; constitutionis
 formã pluribus sum prosequutus: ut. exẽplũ

studiosis præmōstrare quomodo sese possēt
 in utranq; partē Carneadeo more exercere.
 Contrariæ leges, inquit Quinti, nullæ sunt
 ipso iure: sed casu collidunt & euētū, quem
 admodum uideri est in exēplo superius po-
 sito. Loci cōfirmationis & confutationis du-
 cuntur ex ipsis legibus, si cum ratione dis-
 sentiant aut concordent, si circumstātiæ ex-
 plicentur, quibus late sunt, & an ad hos ca-
 sus recte detorqueantur, deinde adhibebi-
 tur comparatio utriusque legis, utra iustior,
 posterior, specialior: quia generi per speciē
 derogatur: & alii quoq; loci quos in scripto
 & sententiā commemorauimus: neq; enim
 absimilis est tractatio, ut ait Hermogenes.
 Exemplo erit huius constitutionis tractan-
 dæ Quintilianī sexta Declamatio, nam &
 Syrianus Hermogenis interpretis argumen-
 tum ipsum ad uerbū posuit græce, scribens
 de antinomīa.

In ambiguo primo querendū: an ambigūū
 sit: & pbandū uel infirmandū put rationib⁹
 nostris expediet, quemadmodū in illo exē-
 plo. Tullius filius meus dato Terentiæ uxo-
 ri meæ triginta pondo argēti quæ uolet. Fi

Dis
 si generaliter seruus, aut res alia legem
 electio legatarij est, nisi aliud testator iuerit
 Insti. Li. 2. Pa. Si generaliter.

lius dicet non esse dubitandum, quin sua sit electio & non uxoris. Deinde excutiendum, an testator, uel si lex ambiguitatem faciet, legislator id uoluerit, quod aduersarii interpretantur: ut in præsentî exemplo, an defunctus uoluerit filium fraudare uxoris causa, quæ fortasse post unū atq; alterum mensem nubet alteri: postremo dicendū, quod nos interpretamur fieri posse, & honeste, & recte, lege, more, natura, & quo & bono, quod aduersarii: e contrario.

In diffinitione, debet esse breuis & ad utilitatem causæ explicata uocabulî diffinitio, deinde factum, & illud de quo controuersia est: cum uerbî descriptione cōferendum, quod eleganter fecit Cicero pro. M. Marcello: Quum enim Cæsar se satis dixisset uixisse gloriæ, Cicero uero id negaret, adposuit hanc gloriæ diffinitionem causæ accommo datam. Gloria est illustris & peruulgata multorum & magnorum uel in patriam uel in ciueis uel in omne genus hominum fama meritorum. Hanc diffinitionem postea accomodat causæ: & pbat illū nondū neq; multa neque magna merita in patriam, ciueis aut

alios homines contulisse ante compositam
Remp. & constituta iudicia, ex quibus con-
stat uera gloria, p̄inde nondum satis uixisse
gloriae. Diffinitione etiam utitur p̄ lege Ma-
nilia: cum probat Pompeium esse summum
Imperatorem.

De translatione nihil dicendum præter ea,
quæ in diffinitione illius diximus: neq; ho-
die magnus est usus illius. nisi forte quando
dicimus non fuisse probandam sententiam
nostram autoritate talis aut talis uiri: uel au-
toritatem aliquam non huic loco aut huic
tempori conuenire.

Loca ratiocinationis sunt uel a pari (ut ait
Syrianus atque etiam Quintil.) ut qui patrē
occiderit, culeo insuatur: ergo etiā qui ma-
trem: quanquam lex de ea nihil exprimat:
uel a maiori: ut quod lex iubet in Rege uel
Imperatore castigari, id erit multo magis
in priuato homine puniendum. Et. Qui oc-
cidere potuit, potuit & flagellare: uel a mi-
nori. Maledictus qui exasperat matrē: quan-
to magis qui manus illi uiolentas affert: qui
occidit! Vel a contrario, ut diuus Hiero-
nymus. Si anima quæ peccauerit, ipsa mo-

rietur: ergo quæ non peccauerit ipsa uiuet. Postea quærenda est ratio similitudinis quæ est inter eam rem quam probandam adducimus & legem qua nitimur. Postremo declarandum quod consulto de hac re nihil sit scriptum, quæ facile ex aliis potuit colligi, ut qui parricidâ iusserit culeo insui: quare nihil expresserit de eo qui matrem occidisset. Præterea dicit Quintilia. in hoc genere quærêdû. An quoties ppria lex nō est, simili sit utendû, An id de quo agitur, ei de quo scriptum est simile sit: Nam sub simili comprehendo maius minus & par. *et contrarium*

Sequitur iuredicialis absoluta, constat autê natura, lege, consuetudine, iudicato, æ quo & bono, pacto. ac rursus Natura Cicerone teste continet religionem erga deos, pietatem erga parentes ac sanguine iunctos, gratiam erga amicos: uindicationem contra inimicos: obseruantiam erga seniores ac personas in dignitate constitutas, ueritatem cum omnibus: ut si quis uelit defendere, quod iuste faciat, quisq; uim uí repellat, hoc pacto debet cōfirmare, quod natura hoc dicitur faciundum, quemadmodum eleganter do

et Cicero pro Milone: & uidem⁹ passim; in
pueris atque infantibus, qui si forte lapidi
caput impingant, non prius placantur, quã
uiderint quasi uindictam de illo lapide sumi.
Deinde quod leges permittat, consuetudo
obtineat, æquitas ipsa postulet, iudices legũ
consulti, secundum eos: qui hoc fecissent,
frequenter iudicauerint, & uideat esse quod
dam inter homines pactũ: ut siue bene siue
male mihi feceris, talionem sis laturus.

Iure dicialis assũptiua diuidit̃ in cõcessionẽ,
relationẽ criminis, remotionẽ, cõpationẽ.
In cõparatione debet præcipue spectari qua-
litas & uolũtas ex utraq; pte, ut q missus im-
perator cũ classe, exercitu pugnã subterfu-
giẽte, nauim incēdit, accusat̃ læsæ maiesta-
tis, quod Po. Ro. classẽ incēderit. Respon-
det, incendi, sed bene feci, nãq; alterutrum
necessariũ fuit, aut classẽ incēdere: aut tur-
piter succũbere. Hic debet considerari qua-
litas facti: scilicet quod fuit utile, honestũ &
necessariũ, deinde etiã uolũtas. hoc est, quo
animo fecit, id patet ex euẽtu. Præterea de-
bẽt examinari causæ factorũ, quare fecit: de-
inde cõpensatio: quod bono reip. factũ sit,

si resp. naues aliquot pdidit, illarū iacturam
 pulcherrima honestissimaq; uictoria farci-
 uit. Postea cōparatio, quāto melius atq; ho-
 nestius fuit classē pderē: q̄ turpiter & cum
 dedecore iugulū hostib⁹ præbere. Trāslatio
 ut si aduersari⁹ obiiciat, nō debuissē nos no-
 stra autoritate id facere. sed pri⁹ ea de re ad
 Senatū referre, respōdebimus non fuisse lo-
 cum tam longæ consultationi: & propterea
 missos nos imperatores cū impio & autori-
 tate, ut possem⁹ de qbuscūq; rebus ex digni-
 tate atq; utilitate Senatus P. o. q. Ro. consti-
 tuere. Sequunt̄ cōiecturæ ex qbus colligē-
 uolūtas illi⁹: ibi accusator pmet reū negādo
 factū animo iuuādī rēp. sed poti⁹ pdēdī: qd̄
 res meli⁹ successerit, q̄ p illi⁹ uoto: id deorū
 immortalitū puidētia & fortuna P. o. Ro. nō
 illius cōsilio cōtigisse. Reus hæc omnia, quā-
 tum poterit, diluet. Ex istis omnib⁹ cōside-
 rabitur qualitas facti in utrāq; partem, p̄t
 accusabimus aut defendemus.

Relatio siue trāslatio criminis fere incidit in
 aliā cōstitutionē nēpe iuredicialē: uidet̄ enī
 quodammodo iuste fecisse, qui alieno pecca-
 to coactus fecit: ac p̄inde dicit Quintilian⁹

in iudiciali assumptiua, fortissimum esse: si
crimen causa facti tueamur: qualis est defen-
sio Orestis, oratio Milonis. Locos habet.
Propositionem criminis, relationem: in qua
reus amplificabit peccatum alterius, quo se
dicet fuisse impulsus in hoc crimen, actor
negabit crimen in aduersarium debere tras-
ferri: in relationem frequenter incidit conie-
cturalis status, qui ex locis suis tractatur, ut
p Milone ratio est. Ille enim insidias fecit
uitae meae: aut ille in me & meos impetum fe-
cit, id Cicero suis coniecturis confirmat. Ali-
quando etiam compensatio, quum dicimus
magno Reip. bono factum, ita dicit Cicero
Clodium a Milone magno Reip. bono occi-
sum. Deinde translatio, ut non tu de illo sup-
pliciū sumere debuisti, sed ad iudices defer-
re: Locus communis accusatoris aduersus
eum qui priuata uindicta legum & magistra-
tus auctoritatem studuit abrogare: nihil opus
fore iudiciis, si caeteri uelint idem facere.
Reus ex amplificatione & descriptione pec-
cati alieni suum extenuabit.
In remotione criminis confirmabimus in
utranque partem ab auctoritate causae effi-

cientis aut impellentis, & a ratione euitandi mali, a coniectura & uoluntate, quod consulto factum sit, deinde a translatione, si iubebat imperator, at aliud iubet deo: cui magis oportet obedire quam hominibus. Est consuetudo (ea enim multi uitiiis praetendunt) sed nulla debet esse aut haberi consuetudo, nisi quam consensus bonorum confirmauerit. Postremo a qualitate conclusiua, dum ex superioribus colligimus bene an secus factum sit. Inter remotionem criminis & translationem tenuis uidetur esse discrimen.

In concessione uel purgamus culpam uel deprecamur. Purgamus aut per imprudentiam aut fortunam, aut necessitatem, quorum omnium non dissimilis est tractatio.

Quando praetextitur culpae necessitas, debet accusator examinare, an fuerit ista necessitas: an euitari potuerit: an data sit opera ut euitaretur non fuisse necessario sed consulto factum, idque ex coniecturis conabitur probare, deinde ut fuerit aliqua necessitas, non fuisse tantam ut ueniam debeat huic delicto impetrare. Exemplo erit miles ille, qui cum ad commeatus diem non affuisset, dixit se flu-

minibus interclusum.

In imprudētia præter ea quæ dicta sunt de necessitate, optimum erit uti hoc dilemma te in eum, qui se dicat imprudenter cum exercitu circumuentum ab hostibus. Vel sciuisi, quomodo deberes situm loci explorare, & hostium insidias præcauere, uel ignorasti, si ignorasti, cur prouinciam rei incognitæ suscepisti: sic sciuisi, cur peccasti & imprudentiam peccato prætendis: Reus uoluntatem & consiliū peccandi omnibus modis amouebit a se, hominem se esse, & prudentissimis sæpe uiris idem contigisse, idq; exemplis probabit.

De fortuna eadem dicenda sunt, quæ de necessitate & impudentia diximus.

In deprecatione culpæ, quæ rarissime habet locū in iudiciis sed apud principes & magnates, aut etiam Populum, loci sunt.

Propositio criminis, culpæ deprecatio, cum enumeratione antea actæ uitæ, declarandum quod iustum sit in gratiam multorum rectefactorum unicum delictum ignosci, præsertim quum ipse olim clemens erga alios fuerit, & ipsi quoque iudices: aut ii

apud quos loquimur, possint aliquando humano lapsu in eundem statum uenire: denique si illum occidant: ciuem unum esse perdituros, sin seruent, lucrifacturos hominē imo uero mancipium ipsis & reip. perpetuo deditissimum. Atque hæc pro constitutionum declaratione sufficiant.

Cæterum proposita confirmandi materia non uidebimur satis officio nostro functi: nisi si simul commonstremus, quibus argumentationum formis utantur rhetores, & eas quidem præcipuas inuenio nouem. Collectionem, ratiocinationem, inductionem, complexionem, enumerationem, conclusionem simplicem, oppositionem, subiectionem, uiolationem.

Collectio constat quinque partibus. Propositione, quæ est id quod assumit probandum. Ratione quæ pbat qd positum est. Confirmatione, quæ est ipsius rationis pbatio. Exornatione, ea rei locupletandæ causa adhibetur & constat ex similibus, exemplis, sententiis, contrariis. &c. Complexione, quæ superioribus cõpendio repetitis iterat ppositionem. Exemplum. Non est uerisimile, quod Sex.

Roscius occiderit. Ratio, quia uita ipsius erat illi utilis, mors etiam calamitosa. Confirmatio. Nam uiuo patre abundabat diuitis: nunc illo occiso est Codro pauperior: & alia multa quæ ibi ponit Cicero. Exornatio: nõ est credibile, quod tantam in patre beneuolentiam expertus: eum lucis usura priuarit, per quem suauissimam hanc lucem aspexit, cum etiam feras ipsas partus & educatio & natura conciliet, & reliqua quibus parricidii crimen exaggerat, neq; temere credendam tam atrocis flagitii delationem affirmat. Complexio siue cõclusio. Cum igitur Sex Roscio patris uita fructuosa fuerit & inutilis mors, & ex cuius uita quæstus fecit maximum, eo mortuo redactus sit ad extremam paupertatem: neque ulla causa fuerit uiolanda pietatis, quam feræ etiam obseruãt, nõ est cur patrẽ existimetur occidisse Roscius. Ratiocinatio quoq; quinque partibus cõstat. Propositione, ratione, assumptione, assumptionis ratione, complexiõne. Ratiocinatio est argumentatio in qua ex propositione & assumptione necessario sequitur conclusio. Sit uero exemplũ ex eadem oratione ut ui-

deam⁹ quomodo possit eadem materia per diuersas argumentationum species uariari. Nemo sine causa quēquam occidit. Hæc est ppositio. Ratio uero, quia nemo uult in periculum uenire iudicii, nisi magni cōsequendi commodi, aut uitandi incommodi spes proponatur, sequitur assumptio seu propositio minor: & est pronunciatum: quo generalis illa propositio accommodatur rei propositæ: ut hoc loco. Sed Sex. Roscius nullā habuit causam occidēdi patris. Ratio. Quia pater illum maxime amauit: & plurima uitæ ornāmēta illi contulit. Conclusio. Non igitur occidit patrem Sex. Roscius. Possunt tamē hæc duæ argumentationes paucioribus cōstare partibus pro qualitate materiæ. Nā & in ratiocinatione possunt omitti ratiōes, & in collectione confirmatio & exornatio, & alioquī dicit Quintil. tres ad summum esse partes argumentationis rhetoricæ: alioq tot partes amplius futuras, quot erunt ratiōes, quæ frequenter in una eademque re allegantur plurimæ.

Tertia est inductio: & est quæ rebus non dubiis concessis propter similitudinē: rem quæ

dubia erat, comprobat, quales sunt Socrati
cæ apud Platonem & Xenophontem. Alii
diffiniunt inductionem, ut sit argumen-
tatio, qua ex pluribus uel partibus uel specie-
bus, unum uel totum uel genus uniuersali-
ter colligitur, ut Plebs Ro. optime de Milo-
ne sentit, & equester ordo & Senatus, ergo
Po. Ro. optime sentit de Milone. & pro lege
Manilia. Pompeius habet uirtutem, habet
peritiam rei militaris, autoritatem, felicitatem,
habet ergo cuncta Pompeius in summo
duce spectanda.

Inductiōis tres faciunt species: ut sit uel So-
cratica: uel dialectica, uel rhetorica. Socrati-
ca dicitur, quod ea plurimum usus sit Socrates,
qui, ut ait Quintil. hanc habuit uiam, ut cū
plura interrogasset, quæ fateri aduersario ne-
cesse esset, nouissime id de quo quærebatur:
inferret, cui simile concessisset. Exēpli causa
Si uellemus pbare nobilitatem non in splen-
dore nataliū, sed uirtute cōsistere, liceret id
facere hunc in modū. Quod est pomū gene-
rosissimū! nōne qđ optimū! concederet. qđ
cqu⁹ generosissimus! nonne qđ optimus! qđ
piscis, ager, pratum! nōne horū ut quicque.

optimū est, ita & generosissimū! Deinde cuius rei gratia rogatū est, quid homo: nonne is generosissimus q̄ optimus! Fatendū erit. Hoc argumētationis genere frequēter p̄mit aduersarios suos Socrates apud Platonē in Apologia. Dialectica inductione utit̄ Cicero in Diuinationē: ad hūc modū. L. Philo nō potuit accusare. L. Seruiliū: neq̄. M. Aureli⁹ Scaurus L. Flaccū: neq̄ Cn. Pōpeius. T. Albutium, ergo nec Q. Cæcilius. C. Verrem accusare debet. Inductionem rhetoricam uocat Cicero in Topicis argumētorum locum ex similibus, ut si tutor fidē præstare debet: si soci⁹: si cui mandarīs: si q̄ fiduciā acceperit: debet etiā p̄curator. Ad hūc modū Cice. p̄ Sex. Ros. Ame. Etenim quærere ita debetis, ubi multa auare, multa audacter multa improbe: multa perfidiose facta uideatis: ibi scelus quoque latere inter tot flagitia putatote.

Enumeratio est in qua plurib⁹ expositis, & cæteris infirmatis: unū reliquū necessario cōfirmatur. Hac usus est Cicero in eadem oratione pro Sex. Ros. Amer. Si Sex. Roscium a filio occisum dicitis, quum nullū sine cau-

sa maleficiū suscipiatur: necesse est aut luxurios hominem, aut aeris alieni magnitudo, aut indomitæ cupiditates ad hoc scelus impulerint: aut si nihil horum sit, ab hoc non esse occisum. Sed de luxuria purgavit Erucius: nihil autem unquam debuit, cupiditates uero nullæ esse possunt in eo, qui uitam semp uixerit a cupiditate disiunctam & cū officio coniunctam. Cum igitur nulla criminis causa queat inueniri: relinquitur utique nullum crimen extitisse. Est & alia in eadem oratione non minus elegans enumeratio non procul a principio. Quod si aut causa criminis, aut facti suspitio: aut quælibet denique uel minima res reperietur, quam obrem uideantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine consequuti: postremo si præter eam prædam quam dixi quicquam aliud causæ inueneritis, non recusato, quin illorum libidini Sex. Roscii uita dedatur.

Enumerationi affinis est subiectio, ratione duntaxat tractandæ diuersa.

Subiectio in qua quærimus, quid pro aduersario aut contra nos dici possit: deinde per singulas interrogationes, rationibus subie

Atis, quæ nostræ causæ uidentur obesse conu-
 uellimus: hoc pacto. Sed quid tandem affer-
 re potestis in medium, quod Sex. Roscium
 ad tantum scelus impulerit? Num luxuriam?
 Sed de luxuria ipse etiam Erucium pur-
 gauit. Num æris alieni magnitudinem? Sed
 nihil unquam debuit. Num cupiditates? Sed
 uitam semper duxit a cupiditate seiunctam
 & cum officio coniunctam. Num patris ali-
 quod erga ipsum odium? Sed pater quem
 procrearat: quem unicum habebat, sine cau-
 sa odisse non poterat. Si igitur neque luxuriam
 neque æs alienum, neque cupiditates: neque
 odium patris causam dedisse cædis paternæ
 reperitur, quare illum tam atrocis sceleris ac-
 cusatis, in quo nullum omnino sceleris uesti-
 gium inuenire potestis?

Oppositio est, in qua ex opposito proposi-
 tionis ad ipsam propositionem reuertimur.
 ut: Si quo tempore illum Romæ occisum dici-
 tis: Sex. Roscius Ameriæ fuit, relinquitur
 ab illo non esse occisum. Nam si id temporis
 Romæ fuisset, erat causæ non nihil, quam ob
 rem id de illo suspicari quis posset: nunc ue-
 ro quæ Romæ non fuerit, nihil est quod tale

aliquid de illo suspicari possitis.

Violatio est q̄ ex aduersariorū ratione colligit id, nō quod aduersario est utile: sed qđ nobis expedit, ut non erat Sextus Roscius gratus patri, qui semper illum ruri dimisit: imo hoc ipsum erat maximī amoris documentum, quod agros optimos & fertilissimos illius fidei commiserit. Vtitur hac argumentatione Cicero in Diuinatione & p̄ lege Manilia hac argumentatione respōdet Q. Catulo.

Complexio (quam Cicero aut quisquis est autor rhetorices ad Herennium) Diuisionē Græci dilemma uocant, est quum duo proponuntur inter se contraria: quorū utrūuis elegeris, consequitur id quod suadere aut dissuadere nitimur. ut si Sex. Roscius semp̄ improbus fuit atque profligatæ uitæ, quomodo pater prudentissimus uir illi omnia sua prædia commisit: sin probus semp̄ fuit: quorū illum tam atrocis criminis reum agitis! Vtitur etiam Cicero hac argumentatione in Diuinatione contra Q. Cæcilium, & aliis locis infinitis.

Conclusio simplex est argumentatio in qua

ex antecedente consequens elicitur. Si Romæ occisus est, ab eo qui Ameriæ fuit occidi non potuit.

Hæ sunt argumentationes quibus in confirmatione fere utuntur Oratores, quæ quoniam pacto sint refutandæ: docet autor rhethorices ad Herennium: & quivis suoapte Marte, tantum non obtusissimi ingenii facile poterit animadvertere. Nos ad perorationem transeamus.

Peroratio est artificiosus terminus orationis. Constat autem enumeratione & affectibus. Enumeratio est brevis eorum quæ tota oratione dicta sunt repetitio, huius elegans est exemplum in oratione Ciceronis per Archia Poeta, & elegantius in oratione per P. Quintio, nisi bonam illius partem nobis temporum iniuria invidisset.

Affectus est uehementior animi commotio ut misericordia, indignatio, ira, inuidia: timor, spes, gaudium, dolor.

Perorationis rationem eleganter explicat Rodolphus Agricola. lib. ii. cap. xvii. his uerbis. Primum causæ fides enumeratione firmatur, si tamen ea sit causa, quæ propter

magnitudinem suam hanc diligentiam postulet. Postea approbata iam causa, tum liberi⁹ effertur oratio: & scelus rei augendo exaggerandoque accusator insectatur: quandoque conditionem etiam eius deflet, qui accepisse iniuriam dicitur. Contra reus, ubi iam defendit se, tum peroratione duram miseramque sortem suam ostendit: cui innocenti immerito pericula struantur: & grauis casus, qui se maneat damnatum, & preces lachrymasque: & omnia mouendae misericordiae experit, nonnunquam & conspirationem contra se aduersariorum & crudelitatem premit, qui odia sua periculis & exitio cupiant innocentis explere. Hactenus Rodolphus.

Affectus igitur diuiditur in amplificationem & commiserationem. Amplificatio ab aliis indignatio dicitur: & est quando dicimus factum contra deos, contra magistratus: contra Remp. ad exemplum pertinere: nisi continuo castigetur: nihil praeterea esse obstaculi, quin alii quoque ad idem peccatum ea impunitate inuident: quod scienter, quod crudeliter: quod in eos: in quos minime debuit: & similia quae facilius est ex Cicerone ani-

inaduertere: quã certis præceptis cõplecti.
 Cæterum quando amplificatiõnis memini-
 mus: quanquam in alio significatu, tamen
 operæ præcium fuerit hoc loco amplificãdi
 rationem paucis perstringere ppter ea quod
 ea uel maxime perorationibus seruiat.

Amplificatiõ, inqt Cicero, est grauior quæ-
 dam affirmatiõ quæ motu animorum cõci-
 liat in dicendo fidem: ea uerborum genere
 conficitur & rerum. Huius uarij admodum
 sunt modi: nos tamen partim ex Quintilia,
 lib. octauo: cap. iiii. partim ex alijs, hos tan-
 quam præcipuos & præ cæteris utiles colle-
 gimus.

Et prima quidẽ amplificandi uel minuendi
 species est in ipso rei nomine: ut cum dici-
 mus occisum pro cæso: latronem p impro-
 bo: pro fure sacrilegum: enecare pro mole-
 stia afficere: & eduerso impudicam p mere-
 trice: facetum p homine scurrilis loquacita-
 tis: tetigisse eum qui pulsauit: læsisse qui uul-
 nerauit.

Secunda est per correctionem, ut apud Ci-
 ceronem p Milone. Est hæc Iudices non scri-
 pta, sed nata lex, quam non didicimus, acce-

pimus, legim⁹, sed a natura ipsa arripuim⁹
hausimus, expressimus: ad quam non docti:
sed facti: non instituti. sed imbuti sum⁹. &c.
Et p̄ lege Manilia de Pompeio. Cuius ado-
lescentia ad sciētiam rei militaris non alienis
præceptis, sed suis imperiis, non offensionis
bus belli, sed uictoriis, nō stipēdiis, sed triū-
phis est traducta. Huic affine est quod ponit
Erasmus, quoties augendi testimonii causa
exaggeramus ad hunc modū. Non hæc uer-
ba sunt fabulis hominum iactata, sed literis
prodita, neq; quibilibet literis, sed totius or-
bis consensu cōprobatas, neq; sunt cuiusuis
hominis, sed Ecclesiastici doctoris, neq; cu-
iusuis theologi, sed apostoli: neq; cuiuscūq;
Apostoli, sed omnium excellentissimi Pau-
li: imo non Pauli, sed spiritus sancti nobis
Pauli ore loquentis.

Tertia fit per incrementum: idque quatuor
modis. Et primo quidem quoties uelut gra-
dibus quibusdam increscit oratio: ut apud
Cicero. act. vii. in Verrē. Facinus est uinci-
ri ciuem Ro. scelus uerberari, prope parrici-
dium necari, quid dicā in crucē tollere! uer-
bo satis digno tam nefaria res appellari nul-

lo modo potest. Secundo quando summo aliquid maius addim⁹. ut si dicamus. Sociis hui⁹ nihil potuit excogitari flagitiosius, hic tamen omnes improbitate longe lateque superauit: hoc fit quādo personam personæ, uirtutem uirtuti, uitiū uitio comparamus. Tertio quando nō per gradus itur: sed tantum illud dicimus, quod est maximum, ut matrem tuam occidisti, quid dicā amplius? matrem tuam occidisti. Quarto quum citra distinctionē aliud alio maius subiungimus. ut apud Cic. in secūda Philip. in cœtu uero Po. Ro. negociū publicū gerēs: magister eq̄tum, cui ructare turpe esset. &c.

Quartus amplificandi modus est p̄ hyperbolen. ut apud Ciceronē p̄ Marco Marcello. Parietes mediufidius. C. Cæsar tibi gratias agere gestiunt.

Quintus per comparationē, ut Cicero pro lege Manilia: legati quod erant appellati superbis, Corinthum patres nostri totius Græciæ lumen extinctum esse uoluerunt, uos eum regem inultum esse patiemini, qui legatū Po. Ro. consularē uinculis ac uerberibus atq̄ omnī supplicio excruciatū necauit!

Per comparationem quoque Annibalis bellis
laudibus crescit uirtus Scipionis: & p L.
Manilia amplificatur continentia Pompei
comparata incontinentia aliorum Imperatorum:
Amplificationes enim comparatione uehementer
expoluntur: quemadmodum eodem in loco testatur
idem: sed ea, inquit, magis ex aliorum contentione:
quam ipsa p se cognosci atque intelligi possunt.

Sextus est per ratiocinationem, & est quando uel ex
precedentibus sequentia colligimus: ut apud Vergilium
ex imperu uentorum amplificatur futurae tepestatis
magnitudo: & Cicero p lege Manilia Cn. Pompeii
res antegestas oratione attollit: ut ex iis belli
Mithridatici successum praesagiret: qui de mittendo
imperatore deliberabant: aut ex sequentibus
antecedentia: ut ex strage corporum pugnae
atrocitas. Ita apud Q. Curtium lib. sexto. Philotas
innocentiam suam confirmat, quod cum malis in
dormientem suis inimici uinciendo excitauerunt.
Vnde inquit: parricidae & pditori tam alti ges
somnia: & quae sequuntur. Simile quiddam est etiam
apud Ciceronem p Sex. Roscio Amerino.

Septimus & ultimus est a circūstantiis quæ sunt uariæ. Ab instrumento. Ita gloriosius Dauid funda deiecit Goliath quam si hasta fuisset aggressus. & ex hasta Achillis, quam nemo Græcorum ferre potuit, robur illius amplificatur. Ab occasiōe. Ita amplificat Cicerō pro lege Manilia Pompeii continētiam, quod cum tanta esset rapiendi occasio, sibi temperauerit. A persona, ut si quis atrollat diui Ioannis sanctitatem, quod ipse etiam Christus illum tā opere laudauerit. Ambrosii magnanimitatem quod ipsum etiam Imperatorem templi ingressu prohibuerit. A loco: ita Hannibal apud. T. Liuiū tertiæ Decadis lib. secundo exaggerauit necessitatem fortiter pugnandi: quod utrinque clauderetur duobus maribus: a tergo haberēt alpes, a fronte hostium exercitum. ita Cice. septima actiōe in Verrem exaggerat crimē Verri, quod non fuerit contētus clueis Romanos in crucem tollere, sed illud fecerit in cōspectu Italiae, uestibulo Siciliae, præteruentione omnium: qui ultro citroque nauigarent. A tempore, ut apud Vergiliū in quarto. Quin etiam hyberno moliris sydere clas

sem: Et medijs pperas aquilonibus ire per
altum Crudelis, ubi etiam continuo subiū-
git amplificationem a loco. Et Cicero pro
lege Manilia. Ita tātum bellum, tam diutur-
num tā longe lateque dispersum, quo bello
omnes gentes & nationes premebātur: Cn.
Pōpeius extrema hyeme apparauit, inēute
uere suscepit: media aestate cōfecit. Ab æta-
te: ut apud Cicer. in eadem oratione. quod
Cn. Pompei⁹ uix dū militari ætate maxima
bella imperator confecerit. Simile erit si q̄
ad prædicādas diuī Nicolai laudes adducat
q̄ a primis uitæ rudimentis abstinentiā exer-
cuit. A conditione: ut quod diua Elizabeth
regii splendoris ac fastus oblita ad curanda
pauperum ulcera sese dimiserit. Ita etiam Ci-
cero pro lege Manilia Cn. Pompeii facilita-
tem attollit, ut is, inquit, q̄ dignitate princi-
pibus excellit, facilitate par infimis esse ui-
deatur. Ita etiam Lucanus libro nono Ca-
tonis uirtutes laudando extollit. Somni par-
cissimus ipse est: Vltimus haustor aquæ: nā
que illud hinc demum pōdus accipit, quod
Imperator & talis Imperator ea præstiterit.
A difficultate, ut apud Ciceronem in ora-

tione supradicta: Quod omnes imperatores multis annis non potuerunt efficere, Cn. Pompeius paucis mensibus præstitit. A sexu: ut in sacris illis uirginibus magnitudo animi, constantia, tormentorum patiētia. Huc quoque refert, quod Chloeliæ factum magis in admirationem uertit Potse nam, quam quæ uel Horatius Cocles, uel Mutius Scauola fecerat. A raritate, ita amplificatur dignitas eloquentiæ, quod pauci eam consequantur. Et Cicero pro Sexto Roscio Amerino, probat tanto grauioribus probationibus accusandum esse & astruendum parricidium, quanto rarius committitur: & Hannibal apud Titum Liuium conatur Scipionem, a prosequendo bello deterrere, quod raro in bello euentus respondeant. Ab euentis, ut Cato quadragies in ius uocat⁹ & toties absolutus colligitur fuisse innocētissimus. Hinc etiam Cice. p lege Manilia dicit non audiendum Hortensium, quod cū lege Gabinia deferret Pompeio impiū in Piratas etiā cōtradixerit, quē si audisset tūc tps Po. Ro. nō fuisset cōsecutus tā p̄clarā uictoriā. Hæc eo sum pluribus

prosequutus, ut res, quæ plurimum uideba-
tur pertinere ad eloquētiæ studiosos in quo-
cunque dicendi genere: fierēt exemplorū ac
cumulatione magis perspicua.

Ad amplificationem pertinet etiam loci cō-
munes, quos, tametsi ad genus demōstrati-
uum & deliberatiuum magis pertinere ui-
deantur: tamen quæ nōnunquā etiā in genus
iudiciale incidunt: & nobis iam sese offere-
bant, hoc loco tractabimus.

Locī communes, ut ait Cicero, sunt cōmu-
nes quædam formulæ uitiorum ac uirtutū,
cæterarumque rerum, quæ inter dicēdum
solent occurrere, ut quæ in ingratiudinē,
luxuriam, auaritiā dicuntur. Item quæ p-
iustitia, prudentia, &c. Sūt autem ita appel-
lati, quod uidentur multarum iīdem esse
causarum.

Locī communes si per amplificationem ad-
hibeantur, siue in laudem, siue in uituperiū
adiuant ad persuadendum id quod pponi-
mus: faciūt præterea ut oratio sit uehemēs,
iucunda, & copiosa.

Frequēs est etiam ut diximus usus locorum
communium in genere demōstratiuo & de

liberatiuo: ut patet in oratione p̄ M. Marcello: uelut si Principem laudes ob clementiã, per locum comunẽ amplificabitur: quam eximia uirtus sit clementia. Item si horteris aliquem ad episcopi munus: quod castus sit: quod pecuniarum cõtemp̄tor, quod ad docendum ppensus, erunt hæc per locos communes amplificanda. Exemplum est apud diuum Chrystomum de dignitate sacerdotali: de charitate & prudentia. Item si detreamus aliquem a uindicta: locus communis tractandus est, quod nemo læditur, nisi a senetipso, quem eleganti libello tractauit diuus Chrystomus.

Etiam in obiurgando & consolando est maximus horum usus: ut si obiurges aliquem, quod detrectationibus indulgeat, exaggerandum est, quantum crimen sit linguæ uisulencia famam pximi lædere. Si quem ob morbum aut mortem consoleris: per amplificationem declarandum est: quam sit breuis hæc uita, q̄ incerta & malis innumeris obnoxia: breuiter quam nõ sit uita: si æternitati comparetur: cuiusmodi exemplum est pulcherrimum D. Hieronymi ad Heliodo-

rum de morte Nepotiani.

Loci cōmunes amplificatiōis causa triplices sunt: quēadmodū elegāter docet Erasmus. Primū enim duci possunt ab omnib⁹ uirtutū generibus uel speciebus: in qbus illud est perpetuū, quod cōtraria contrariis admota magis illustrant: quēadmodū frequēter ait in rhetoricis Aristoteles: ut si castitatem laudes: addēda erit uituperatio impudicitiae. Deinde ex sententiis hinc deriuatis: ut a uindicta deterrētī utiles erūt ex optimis autorib⁹ sententiae ad hāc rem accommodatae. Ad quā rē fuerit utilissimū & alios q̄ plurimos habere locos cōmunes studiorū nostrorū & eorū quae legimus ad eū modū digestos: quē docet Rodolphus Agricola in epistola de formandis studiis: & Erasmi⁹ de copia rerū cap. de ratione colligēdi exēpla. Postremo ducuntur loci cōmunes ex iis quae sequuntur a cōiuita: id est, quae uulgo dicuntur aut accidunt. Quae dicuntur, ut male partū male dilabitur: Plus uident oculi q̄ oculus. Quae accidunt, ut lōga uiuacitas, insignis memoria: formae praestantia: ut si quis consoletur senē aut aegrotum: & ad huius uitae contemptū hortetur:

id faciet commodissime ex loco de subita & præmatura morte, quot infantes pereunt in latebris uteri materni: quot in ipso exortu, quot in cunis, quot iam adulti: iam ut contingat longa uiuacitas, tamen quod est longissima uita aternitati comparata:

Locus communis quomodo tractari debeat, docet Aphthonius: & ponit hos locos, ab expositione ipsius loci, a contrario, ab expositione amplificatiua, a comparatione, a sententia quæ agentis mentem calumniatur, a digressionem per coniecturam præteritæ uitæ, a misericordiæ excusatione, a finalibus capitibus, legitimo, iusto, utili, possibili, honesto, causa. Exempli causa. Si quis inuehatur in auaros, tractabit per locum communem, quam abominanda res sit auaritia: deinde per contrarium opponet illi liberalitatem, postea per expositionem commemorabit amplificando, quantum malorum auari inuehant in rerum naturam: mox comparabit auaritiam cum omnibus aliis uitiis, atque ostendet nullum neque peius esse, neque magis execrandum, a sententia declarabit fieri non

posse ut auari consilium in bonam partem
detorqueatur: postea uero uitam reliquam
notabit, impossibile esse dicēs: ut tantū ma-
lum sine plurimorū uítiorum societate quē
quam occupet: deinde a misericordiæ exclu-
sione dicet auarítiam esse peccatum omnis
ueniæ nescium: auarítiam enim contra leges
esse: contra iústítiam: contra utilitatē cōmu-
nem: contra honestatem: si toleretur in Re-
pub. multa inde mala succedere. Atque hæc
de loco communi & amplificatione dicta
sufficiant: nunc de cōmiseratione dicamus.
Ad misericordiam duo sunt necessaria: ca-
sus acerbus & eum qui perferat indignū eo
uideri. Et misericordia quidem mouetur ab
innocentiā: ab ætate: ab impotentia & soli-
tudine (ut in orphanis · uiduís, aduenis: eam
partem mire tractauit Cice. p P. Quintio) a
magnitudine calamitatis: a ppínquitate, a
potentia crudelitateque eorum qui lædūt,
a priore fortuna. Exempla uaria sunt apud
Cice. p Milone. pro L. Flacco. p Plancio: p
Murena. & in aliis multis. Et hæten⁹ qdē de
genere iudiciali: tætsi plæraq; quæ diximus
aliis quoq; generibus communia sint.

De genere deliberatiuo.

Sequitur genus deliberatiuum, quod in sua dendo aut dissuadendo consistit: cuius hæc numerantur species: suasio, dissuasio, adhortatio, dehortatio, monitio, petitio, responsio ad petitionē: gratiarū actio (quam tamē alii ad gen⁹ demonstratiuū, ut antea dixim⁹ referunt) commendatio, reconciliatio.

Pro hoc genere & etiam demonstratiuo tradit regulam compendiosam illam quidem, sed tamen in primis utilem Aristoteles lib. primo & tertio rhetoricorum: Quando, in quies, laudare aliquē uolueris: uide qd eras suasurus, & quando suadere, uide quid eras in illo laudaturus: Namq; in eandem speciem mutato orationis tenore cadunt laus & consultatio. Exempli gratia. Si consilium mihi est aliquem adhortari, ut quemadmodū loco celebri, honestis parentibus & multis rebus præclare gestis nobilib⁹ est natus: ita uí tam instituat, ne talis iuuenis, tali ætate, tā liberaliter educatus, patriæ dedecori, parentibus infamiae sit. Hæc admonitio quæ deliberationi subiacet; transformato orationis schemate in laudem trāsibit hoc pacto. Lau

de dignus est hic iuuenis: propterea quod in
tali urbe, huiuscemodi parentibus progna-
tus, ita educatus: ea ratione uitam instituit,
ita sese gessit, ne patriæ uitio, parētib⁹ igno-
minia esset: Ita quemadmodū aliquē adhor-
tamur ad studiū Theologiæ: ab honestate,
utilitate, iucunditate, facilitate, necessitate
illius scientiæ: sic quoq; si eandē sciētia lauda-
toria oratione celebrandā suscipiamus, ab
eisdem locis argumentū sumere possimus.
Genus hoc tractandū est ad hunc modum:
si res desiderabit, beneuolentiā captabim⁹.
Deinde si opus uidebitur, narrationē subii-
ciemus, in qua omnia ad suadendū accōmo-
dabimus, & tanquam argumentorū semina
iociemus. Postmodum si res ipsa partes in se
continebit, eas distribuemus: si res simplex
erit: ipsi nostro ingenio diuisionē faciemus,
& rationū capita uel locos a quibus potissimū
suasurī sumus enumerabimus. Postea singu-
las rationes uarie copioseq; tractabimus.
Locos huius generis Aristoteles in rhetori-
cis ad Alexandrū hos ponit. Iustū, legitimū,
conducibile, honestū, iucundum, facile: aut
si facile non est, possibile: si uero magna ui-

debitur rei difficultas, uix ut possibilis sit necessarium. Necessarium hic dupliciter accipitur: partim p̄ eo, in qđ homines grauiorū metu cogūt: partim p̄ eo quod nullo modo pōt uitari: & quāq̄ necessitatē a deliberatiōe aut excludendā aut ad utilitātis quæstionē referendā putet: ego tamē eos sequit̄ q̄ crassiore Minerua hāc rem tradunt, eā inter locos suasorios retuli, præsertim quum uideam & Ciceronem & T. Liviū usos hoc loco: Legitimum etiam dicitur hoc loco quod est legibus, atque etiam diuinis literis præscriptum, celebrium uirorum exemplis commendatum, & diuturna consuetudine receptum.

Perorationis deliberatiuæ optima mihi ratio uidetur, quam Cicero pro lege Manilia sequitur, nimirum ut primum laudemus eum, cui consilium damus, quod huiusmodi aliquam rem animo conceperit, atque hortemur, ut constanter in ea p̄gat nullius uel dehortationibus uel minis deterritus: deinde auxilium nostrum polliceamur. Postremo dicamus non eo nos suasse illud ut aliquam inde gratiam bonam iniremus,

Quinti li
c. mis

sed ut consuleremus utilitati illius, semper huc fuisse morem nostrum: ut in consiliis dādis non priuati commodi, sed alienæ utilitatis rationem haberemus.

Cæterum quum in tam uarias dispersita sit formas deliberatio, non abs re fuerit præcipuas quasque species obiter perstringere, & tractandi rationem commonstrare.

Et primū qdē ad hoc genus mihi pertinere uident̄ thesis & hypothesis, quarū exercitatio in primis utilis est non tantum eloquentiæ: uerum & prudentiæ quoque comparandæ, & dādis consiliis: de quibus etiā Quintilianus lib. tertio: cap. quinto loquitur. thesin Cicero propositum. hypothesisin causam appellat. Et thesis quidem est, quum aliquid generatim quæritur, nullis neq; personis neque temporibus notatum. ut: expetenda ne sit eloquentia! expetendi ne honores! an ducenda sit uxor! & similia. Hypothesis est quæstio suis circumstantiis circumscrip̄ta. An Cætoni ducenda sit uxor! an Cæsari bellum suscipiendum contra Pompeium. Vtriusq; eadem est tractandi ratio. Primum ingressus aliquis ad argumentationē: exordii uice fue

rit: deinde excutiendi loci constitutionis su-
redicialis absolutæ, qui & generi deliberati-
uo plurimum conducunt, & etiã suaserii su-
perius commemorati: postremo breui epilo-
go uelut perorandum. Exemplum theseos
est apud Ciceronem in ipso statim exordio
orationis p Milone, an liceat uim uí repelle-
re, hypotheseos uero in tota oratione p le-
ge Manilia. An Cn. Pompeius sit mittendus
imperator ad bellum Mithridaticum!

Suasio uero & dissuasio ad hunc tractantur
modum. Primum omnium considerandum
est etiam atque etiam: quid sit illud qđ suade-
re uolumus, deinde commoda omnia colligenda
atque amplificanda, incommoda aut
extenuanda aut remouenda: excogitatis quã
plurimis rationibus & rationum confirma-
tionibus, tractandi loci communes, postre-
mo uidendum, quibus argumentationũ for-
mis, & exornationibus res proposita possit
optime explicari. Exemplo erit elegantissi-
ma illa Hannibalis oratio, qua Scipioni pa-
cem suadere conatur apud Liuum de secun-
do bello Punico lib. decimo. Et duæ illæ ora-
tiones contrariæ M. Catonis pro lege Op-

· pia. & L. Valerii contra legem Oppiam.
· Suasioni proxima est adhortatio & dehorta-
· tio. Et habet hos locos. A laude: A spe com-
· modorū & metu incommodorū, ab amore
· eorum ꝑ quibus dicimus: ab odio illorū cō-
· tra quos dicimus: a miseratione, ab æmula-
· tione: expectatiōe duplici amicorū & inimī-
· corum: exemplis: obsecratione. Exemplum
· est artificiosissimum apud Titum Liviū lib
· 6. ii. de secūdo bello Punico in orationibꝰ
· Scipionis & Hannibalis milites suos ad pu-
· nam adhortantium.
· Dehortatio fere iisdē cōstat locis: i qua præ-
· terea, exempla eorū quibus id cessit infelici-
· ter accumulabimus, deinde rei turpitudinē
· probrum, conuitia, damna, incommoda,
· diligenter colligemus: & ea per descriptio-
· nem ante oculos ponemus. Exēpla dehorta-
· tionum sunt apud T. Liviū lib. vii. primæ
· Decadis in oratione. M. Valerii Coruini: in
· qua dehortat milites suos, ne contra patriā
· arma sumant. & alia oratio Pacuui Caluui:
· lib. tertio de secūdo bello Punico: qua dehor-
· tat filium a cæde Hannibalis.
· Sequitur Petitio: de qua Seruius scribens in

primū Aeneidos sup hīs uerbis : Aeole nāq;
 tibi. & c. dicit rhetores præcipere q̄tuor esse
 in omni petitione obseruāda. Primū ut qd' pe-
 timus in ei⁹ a quo petim⁹ esse potestate dica-
 mus. deinde iustū esse qd' petim⁹: tertio mo-
 dū ostēdamus quo id fieri possit. postremo
 nos gratiā relatuos polliceamur. & ipsi etiā
 Corcyrenses legati apud Thucydidē lib. pri-
 mo dicūt: iis q̄ petūt ab aliis auxiliū ante oīa
 declarandū esse, q̄ petūt res utiles, aut saltē
 minime noxias: deinde sese gratiā firmā habi-
 tuos: alioq̄ nō hñe cur ægre ferant repulsā.
 Cæterū q̄ exactius p̄cepta petitiōis tradide-
 runt, aiunt primo ponēdū q̄s petat: deinde
 omni ratione beneuolentiā esse comparādā
 a persona eius a quo petimus, & etiā aduer-
 sariorū: & ab ipsa re & a cōmodis, quæ ad il-
 lum sunt ex hac re peruētura: & ante omnia
 debemus per præsumptionē diluere, si quæ
 sunt, quæ animū illius a nobis alienare pos-
 sint. Huius rei elegans est exemplum apud
 Thucydidem loco iam dicto: & apud T. Li-
 uium libro septimo primæ Decadis ubi Cā-
 pani petunt auxiliū a Romanis aduersus
 Samnites, & etiā ubi Hannibal petit pacem

a Scipione, quod exemplum ad suasionem quoque retulimus. Porro quum duplex sit petendi modus rectus & obliquus: in recto obseruanda sunt quæ hactenus diximus, in obliquo debemus exaggerare necessitatem: quæ nos mouit, & dicere, quanquam impudentis sit ab iis perere, quos nullo unquam beneficio tibi deuinxeris: tamen magnam spem in illorum humanitate collocare: & olim tanto gratiores nos futuros, quanto maius immerentibus beneficium gratuito contulerint: deinde præter ea quæ dicta sunt adhibebimus obsecrationes earum rerum uel personarum, quibus scimus illos posse commoueri, quod Cicero subinde facit in perorationibus quando misericordiam reo impetrare conatur. Postremo animum memorem & gratum pollicebimur: facultatem quidem extenuantes: animum uero benigne atque magnifice offerentes.

Petitionem sequitur gratiarum actio, quæ & ipsa quoque duplex est. recta & obliqua. nam aliquando non agendo gratias maxime gratias agimus: quum ostendimus aut beneficium maius esse quam ut oporteat uulgarium mo-

re uerbis gratias agere: aut amicitiam esse maiorē, quam ut debeat alter alteri gratias agere. Sed hoc gen^o obliquæ gratiarū actionis ad epistolas magis pertinet. In recta gratiarum actione conuenit beneficium modis omnibus amplificare, id quod iis fit rationibus: si ultro, si incunctatē, si cito, si in tempore, si uberius quam ausi sumus petere, si nihil promeritis, si ne expectatibus quidem aut etiam si in eum collocatum, cui melius uolumus quam nobisipsis. A genere quoque beneficii, ut si qs fideli consilio iuuerit: sunt & aliæ circumstantiæ: ut si praelati simus aliis: si nostra causa aliorum inimicitias susceperit. Exemplum gratiarum actionis est apud Titum Liuium lib. xxviii. ubi Saguntini Legati agunt gratias Senatui Romano, pro restitutione Saguntī: & apud Ciceronem pro M. Marcello.

Reconciliatio, quæ & ipsa quædam petitio est, quatuor habet consideranda: causas iniuriarum: iure an iniuria factum: indignitate rei: ut inter fratres, cognatos, affines, amicos esse inimicitiam. postremo adiecto periculo ad pacem hortari conuenit. Exemplū

est in. T. Lúio Metíi Suffetii ad Tullú Ho-
stílium de pace ínter Romanos & Albanos
concilianda libro primo & libro. xl. Q. Cæ-
cilií ad M. Lepídum: & M. Fuluíum.

Sequitur commédatio, in qua similiter qua-
tuor conuenit obseruare: nimirum perso-
nam nostram, & eius cui commendamus,
eius quem commendamus, & rem ipsam cu-
iusmodi sit. Huius generis est apud Títum
Lúium libro quinto ab urbe cōdita oratio
P. Licínií Caluí, qua filium suum. Po. Ro.
commendat.

Monitionis duplex est officium, & uítium
si quod immutari uolumus docte indicare,
& quæ agenda sunt ea nescienti, tanquam
scienti ostendere: ut facit Títus Lúius li-
bro uigesimo secundo, in oratione Fabíi
Maxímí, Paulum Aemílium admonentis,
quomodo sese debeat gerere in bello, & Scí-
pionís ad Masanissam libro. xxx. Verum
ením uero & hæc & consolatio magis ad e-
pístolas pertinent: quæ quando Erasmus
ita tradidit utiliter & commode: ut nihil su-
pra possit excogitari. satius erit ex illius de
confcribendis epístolis libro petere, quem

ego nocturna diurnaque manu studiosis eloquentiæ uersandum censeo.

De genere demonstratiuo.

Hoc genere apud ueteres diligenter & accurate, si Quintiliano credimus: exercebantur. adolescentes, quia existimabant ingenium id genus exercitamentis multa cognitione rerum imbui, & animos contemplatione recti prauique formari: ac proinde nullum genus aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus esse iudicabant: aut in quo magis Orator in uiciorum, uirtutumque cognitione uersaretur. Quæ res nobis quoque calcar subdere debet, ut in eo genere ad consequendas easdem utilitates diligenter exerceamur.

Genus demonstratiuum constat laude uel uituperatione alicuius personæ uel rei.

Laudatio uel uituperatio, ex tribus constat temporibus: præterito, præsentis, atque insequentis. Præteritum continet oracula, miracula, & præfagia, quæ natiuitatem præcesserunt: uelut in diuo Ioanne Baptista,

& Bernardo & alijs. Ad hoc tempus Quintilianus patriã & parētes ac maiores refert, Erasmus etiã ea quæ infantibus accidūt, uidētur enim magis esse præfagia quam uirtutes. Præsens tempus totam uitæ seriem, ab ortu ad occasum continet. Ad insequens tempus pertinent quæcunque mortē sequūtur: ut luctus bonorum omnium: desiderii defuncti: honesta fama: monumēta ingenii: & si Diuū aliquem laudes prodigia. Et quanquã hæc pauca sufficere posse existimem ad genus demonstratiuum, tamen nō possum non adponere hoc loco attributa personarum quæ uocant: de quibus Quintil. lib. qn to cap. decimo: de argumentis: tum quod superius pollicitus sum, tum quod ad alia quoque genera plurimum conducere iudicem. Igitur personæ accidunt hæc. Genus, in quo examinamus quibus quis maioribus & parentibus sit prognatus: hinc enim materia fluīt uel laudandī uel uituperandī: si maiorū uirtutes uel uitiã aut æquarit, aut etiã superarit: aut ipse suis maioribus sua uirtute præluxerit: aut ab illorum laude degenerarit. Natio, quandoquidem suum cuique

genti est aliquid peculiare, ingenium & mo-
res proprii: neque quoduis in quauis gente pro-
babile: ut Pœno peculiaris est perfidia: Hispano
laborum tolerantia. Patria: sunt enim &
singularum ciuitatum peculiare quaedam no-
tae, consuetudines, leges. Hinc etiam lauda-
mus quod patriae claritati responderit: quod
illi sua uirtute, eruditione: rebus gestis lucem
addiderit. Sexus: uir fuerit an foemina, di-
uersa enim utriusque ratio. Superius quoque
ostendimus sexum ad amplificationem perti-
nere. Admirabilior enim in foemina, quam
in uiro uirtus. Aetas: quomodo uixerit puer:
quomodo adolescens: quomodo iuuenis: quo-
modo uir & senex: alia nempe aliis aetatibus ma-
gis conueniunt: quemadmodum eleganter depin-
git aetates hominum Horatius in arte Poetica. Edu-
catio & disciplina: quoniam plurimum refert
a quibus & quo quis modo sit educatus atque
institutus: atque adeo si Aristoteli fides est
habenda omne in eo momentum est situm.
Habitus corporis complectitur formam aut
deformitatem, robur aut imbecillitatem: hoc
loco sic utemur. Si formosus est is, quem lau-
dandum suscepimus: dicemus quod gratior

est pulchro ueniens in corpore uirtus: sin de
formis: quod iuxta Biantis consilium, de for
mitatem corporis animi pulchritudine pen
sarit. Præter hæc quoq; obseruabim⁹ quem
admodum frequenter autores descriptione
Physiognomica: ex corporis lineamētis ani
mi descriptionē & coniecturā faciunt. For
tuna: quæ pertinet ad opes, ppinquos, amī
cos. clientes, dignitatē, honores. quæq; di
cunt extra nos bona hominib⁹ sorte obtin
gētia, quæ nō ideo laudant, quod habuerit
qs ea, sed quod his honeste sit usus. Nā diuī
tiæ & potentia & gratia cū plurimū uirium
Quintiliano teste, dent in utrāq; partē, cer
tissimū faciunt morū experimētū: aut enim
meliores ppter hæc aut deteriores sum⁹. est
igitur summa laus nō extulisse se in potesta
te: non fuisse insolentē in pecunia, nō se præ
tulisse aliis ppter abundantiam fortunæ, ut
opes & copiæ non superbix uideant ac libi
dini, sed bonitati ac moderationi facultatē
& materiam dedisse. Conditio, quæ & ipsa
ad bona fortuita referē, in hac quærimus,
clarus an obscurus quis fuerit: magistratus
an priuatus, pater an filius, ciuis an peregrin⁹.

nus, liber an feruus: maritus an cœlebs, pater liberorum an orbis. &c. Animi natura quæcunque uicicia aut uirtutes comprehendit. Est autem uirtutis uis duplex: aut enim scientia cernitur uirtus aut actione. Ad scientiam refertur prudentia, sapientia, & quæcunque uidentur in aliqua ingenii facultate posita. Ad actionem uero Temperantia, fortitudo, iustitia, religio, pietas, fides, lenitas, amicitia: & uirtutum omnium custos Verecundia: de quibus omnibus doctissime scripsit. Cicero in Partitionibus & libro secundo de Oratore. Vituperandi præcepta contrariis ex uitiis sumenda sunt. Studium, hoc est uehemens animi ad aliquam rem applicatio: ueluti ad Musicam, Rhetoricam: Theologiam, mercaturam: & breuiter quodcunque uitæ institutum. Affectatio: multum enim refert, qualis quis uideri studeat. Antedicta & antefacta, hoc est, quæcunque uniuerso tēpore uitæ suæ uel dixit uel fecit. Nam ex præteritis solent æstimari præsentia. Commotio, quæ differt ab animi natura, quod hæc perpetua est: illa temporaria: uelut ira est commotio: iracundia animi natura.

Ebrietas commotio: ebriositas animi natura siue habitus: atque ideo uocat Quintilianus temporarium animi motum. Consiliū est faciendi excogitata ratio. Consilium autem & præsentis & præteriti & futuri tēporis Quintiliano magis referendum uideēt ad illam partem argumentorum, quam ex causis dicimus, & recte sane: nam qui consilium Imperatoris in expugnanda Goletha expēdit, nihil aliud quam finem considerat propter quem Imperator eam expeditionem sit aggressus.

Nomen, quī locus dialecticis dicitur ab etymologia, siue a nomine rei, Cicero notatationem uocat: & est quando ex uī nominis elicitur argumentum in laudem aut secus. Hinc Diuus Hieronymus non Vigilantium, sed Dormitantium appellandum dicit. Et diu⁹ Augustinus non Mannichæum, sed Manichæum uocandum censet: quod insana effunderet dogmata.

His locis comparationem addunt, quæ plurimum habet momenti ad amplificandam laudem rei uel personæ, quemadmodū de amplificatione diximus: & docet etiam Ro

dolphus Agricola lib. de inuentione Diale-
 ctica tertio: cap. tertio. Atque ex iis quidē lo-
 cis constat personarum laus uel descriptio.
 Quando igitur laudare aut uituperare ali-
 quem uolumus: hæc erunt in toto quasi con-
 textu orationis illustranda maxime: quēad-
 modum quisque generatus, quēadmodum
 educatus, quemadmodum institutus mora-
 tusque fuerit: & si quid cui magnum aut in-
 credibile acciderit: maximeque si id diuini-
 tus accidisse potuerit uideri: tum quod qsq;
 senserit, dixerit, gesserit, ad ea quæ proposi-
 ta sunt uirtutum ac uitiorum genera accom-
 modabuntur, causæ rerum, euentus & con-
 sequentia requiruntur: neque mors silentio
 præteriri debet: si modo quid erit animad-
 uertendum, aut in ipso genere mortis, aut
 in iis rebus, quæ post mortem erunt conse-
 cutæ. Exempla sunt apud diuum Hierony-
 mum de morte Nepotiani: de uita Pauli He-
 remitæ & Hilarionis.

Si genus aliquod hominū laudamus aut de-
 scribimus, quatuor præcipue spectabimus.
 Primum enim a corporis descriptiōe ordie-
 mur: deinde uestium genus: mox animorū

habitus persequemur: postremo omnem uiuendi ritum breuiter exponemus.

Quando uero rem aliquam aut scientiã uoluerimus extollere ad locos generis suaforii confugiemus iuxta p̄ceptum Aristotelicæ regulæ: quam superius declarauimus.

Est & laus operum, in quibus, inquit Quintilianus: honor: utilitas: pulchritudo, autor spectari solet. Honor ut in tēplis, utilitas, ut in muris, pulchritudo & autor utrobique.

Est & locorum, qualis Siciliae apud Cicero nem actione in Verrem quarta, in quibus similiter speciem & utilitatem intuemur, speciem maritimis, planis, amoenis, utilitatem salubribus, fertilibus. Cicero de Siciliae dignitate, uenustate, utilitate se dicturum ibi profitetur.

De genere Didascalico.

Genere demonstratiuo addunt genus Didascalicum: quod nomen quia neoterici tantum posuerunt, superius silentio praeteriui. Volui tamen hoc loco paucis perstringere: quia cum tria sint oratoris officia: ut doceat: ut moueat, ut delectet: hinc praecipue consequetur, ut comode doceat. Est huius generis

magnus usus in scribendis libris, ordinandis
disputationibus, componendis relectioni-
bus quas uocant: & aliis id genus rebus.

Genus Didascalicum est duplex: aut enim
constat ex quaestionibus simplicibus: ut quid
sit uirtus! quid iustitia! quid prudentia:
aut ex quaestionibus coniunctis. Sit ne ex-
petenda gloria! liceat ne Christianis gerere
bellum!

Quaestionis simplicis loci sunt. Diffinitio,
partes uel species, causae, effectus, cogna-
ta, pugnantia: ut si quis sit de uirtute scri-
pturus, primo debet ponere diffinitionem
uirtutis: ea enim declarat, quid sit uirtus.
Deinde partes seu species uirtutis enume-
rare, Tertio perquirere causas uirtutis,
hoc est, quae res efficiat uirtutem, & in
quem finem comparetur uirtus. Quarto
ponendi sunt effectus uirtutis, hoc est, quae
opera, aut quae commoditates procedant
ex uirtute. Postremo, quae sint illius co-
gnata & pugnantia, hoc est, quae habeant si-
militudinem cum uirtute: & quae sint omni-
no illi contraria: atque hos locos ex dialectica
petitos facultas oratoria amplificat, & suis

coloribus exornat. Hanc rationē sequutus est Cice. in libris Officiorū: atq; etiā lib. primo de Oratore huius rei meminī.

Quæstionis coniunctæ iidem sunt omnino loci: qui etiam plurimū conducunt ad gen⁹ suaforum: in quo sæpe tractandus est aliq; locus communis antequam statuatur: quid sit agendum: ut si quis exhortari uelit Principes Christianos ad bellum contra Turcas primo tractandus sit locus communis quod liceat Christianis bellum gerere. Et hæc quidem pro inuentione sufficiant.

De Dispositione.

Dispositio, est rerū in ordinem optima collocatio: ea bene conuenienterque tractata, magnam meretur ingenii laudem. Eius tractandæ rationem compendio tradit Rodolphus Agricola ad hunc modum. Quisquis bene disponere uolet, is totam inuentionis suæ syluam, hoc est, omnia quæcunque dicturus est: uelut conspectui suo subiiciat: tū quid in animo auditoris efficere uelit: diligenter expendat: deinde res ipsas rerumque partes: & uim naturamque: omnia & inter se cōferat: & cum præceptis omnia, tunc non dif

ficulter uidebit, ubi temporum sequēda ratio: ubi per species res digerenda, & quibusdam uelut limitibus singula discernēda: ubi aliud ex alio ut quodq; optimū aptissimū ue fuerit, ducēdum. Quæ præterea de dispositione dicenda erant: hoc est, quemadmodū singulas orationis partes disponi oporteat, suis locis dictum est.

De Elocutione.

In elocutione elaborandum est ut latīna, ut plana, ut ornata: ut ad id quod dicitur apta congruensq; sit oratio. Sed quo planior sit hæc res res ac manifestior: quoniam omnis eloquentiæ uis quodammodo hinc pendet: rem omnem paulo altius repetamus.

In elocutione tria sint oportet: elegantia: cōpositio, dignitas. Elegantiā facit: ut unum quodque pure & aperte dici uideatur. Ea distribuitur in latinitatem & explanationem. Latinitas est, quæ sermonem purum conseruat ab omni uitiō remotum. Hui⁹ in primis magna habenda est cura iis, qui gloriā affectant eloquentiæ. Nam uere & eleganter dicit Cicerō de claris oratoribus. Fūdamētum oratoris esse locutionem emendatā &

latinā. Quod subinde deberent animo uerfare & cogitatione reperere: qui præpostero consilio ad rhetoricos apparatus aspirāt: antequam solida Grāmaticæ latinitatē fundamenta iecerint. Vitia in sermone quæ latinitatē offuscant sunt duo: solæcismus & Barbarismus. Solæcismus est uitiosa partiū orationis cōstructio. Barbarism⁹ cū uerbū aliud quod uitiose uel scribitur uel effertur.

Explanatio quæ reddit apertam & dilucidā orationem. Ea duabus rebus comparat⁹; usitatis uerbis & propriis.

Compositio est uerborū constructio æqualiter perpolitā: ea seruabitur, si crebras uocallium concursiones, quæ uastam atq̃ hiantē orationem reddunt, & eiusdem literæ aut syllabæ nimiam assiduitatem uitabimus: & hyperbatōis non concinnis ac longiorib⁹ periodis abstinēbimus.

Dignitas est quæ reddit ornatā orationem: uarietate distinguens: Ea uerborum & sententiarum constat exornationibus.

Verborū exornatio est, quæ ipsi⁹ sermonis insignita continetur perpolitōne.

Sententiarum exornatio est, quæ nō in uer

bis, sed in ipsis rebus, quandam habet dignitatem. De utriusque generis exornationibus eo ordine dicemus, qui est in Rhetoricis ad Herennium.

Repetitio est quando ab iisdem uerbis plura acriter & instanter incipiunt: ut apud Ciceronem in Diuinatione. Cur nolint, etiamsi tacerent satis dicunt, uerum non tacent, tamen his inuitissimis te offeres! tamen in aliena causa loquere! tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse malunt! tamen his operam tuam pollicebere, quod te neque uelle sua causa: nec si cupias, posse arbitratur!

Conuersio est per quam plura clauduntur eadem dictione: ut Pœnos Po. Ro. iustitia uicit, armis uicit: liberalitate uicit.

Complexio utranque continet exornationem repetitionem & conuersionem. Exemplum est pro Milone, quod etiam citat Quintilianus: quis eos postulauit! Appius. Quis produxit! Appius. A quo! Ab Appio. Hæc tria schemata multum faciunt ad uehementiam & acrimoniam.

Treductio quoties eadem dictio subinde repe

titur in oratione cum gratia, id quod fit uel in eadem significatione uel in diuersis. In eadem significatione: ut apud Ciceronem pro lege Manilia. An uero ignoratis portū Caietæ celeberrimum atque plenissimum nauium, inspectante Prætorē, a prædonibus esse direptum? Ex Miseno autem, eius ipsius liberos: qui cum prædonibus antea ibi bellū gesserat: a prædonibus esse direptā? In diuersa significatione: ut in Diuina. Opinor cōcedismulto hoc & esse grauius, & ab omnibus ferri grauius oportere. & apud Terentium in Eunuchō. Si quis est qui dictum in se inclementius existimet, sic existimet: sciat responsum non dictum esse, quia læsit prius: id quod fieri debet cum uenustate ac citra affectationē: alio qui uitandum potius quam imitandū ut ait Quintilianus: qui nomine Cornificii hoc citat exemplum. Amari iucundum est: si curetur ne quid insit amari: qui locus quādoquidem est in rhetoricis ad Herennium, cū aliis aliquot quos Cornificii nomine citat: occasionem dedit nonnullis suspicandi rhetorice ad Herennium non esse Ciceronis, sed Cornificii.

41

Contētio, Græci antitheton uocant: & est quando uel singula singulis opponuntur: ut apud Ciceronem. uicit pudorem libido, timorem audacia. & p̄ regē Deiotaro. En crimen, en causa, cur regem fugitiuus, dominum seruus accuset. aut bina binis. nō nostri ingenii: uestri auxilii est, aut sententia sententiæ: ut apud Ciceronem pro. M. Marcello. Tantus est enim splendor in laude uera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas ut hæc a uirtute donata: cætera a fortuna accommodata esse uideantur. Et in Diuinatione. Tantum id dicam, quod tacitus mihi assentiare, nullam rem esse in me quam ille cōtemnat: nullam in te quam pertimescat. Plurimum facit contētio uel ad gratiam uel ad uehementiam orationis.

Exclamatio loco adhibita conficit acrem significationem doloris aut indignationis: ut in Diuinatione: Quid est, pro deum hominumque fidem, in quo ego Reip. plus hoc tempore prodesse possim? Et pro Milone. O spes fallaces. O cogitationes inanes meæ. Cō duplicat uehementia exclamatiōis, si accesserit apostrophe, id est, auersus a iudice sermo

ut inqt Quintil. qualis est uehemētissima at
que elegātissima pro Milone. Vos uos appel
lo fortissimi uiri: qui multum p̄ Repub. san
guinem effudistis: uos in uiri & in ciuis inui
cti appello periculo Centuriones: uosq; mili
lites: uobis non modo inspectantibus, sed e
tiam armatis & huic iudicio praesidentibus tanta
uirtus ex hac urbe expelletur: exterminabi
tur: eicietur: Continet exclamatio impre
cationes: ut in eadem oratione. Valeant, in
quit, ualeant ciues mei, sint incolumes sint
florentes. sint beati. &c. Et obtestationes.
Nolite, obsecro uos, pati mihi acerbiorē
reditū esse, quam fuerit ille ipse discessus. Et
ominationes. ut apud Vergiliū. Turno
tempus erit, quum magno optauerit emptū
Intactum Pallanta.

Interrogatio tempestiue adhibita multum
uigoris & aculeorum tribuit orationi: tem
pestiue uero adhibetur, quando seruit alle
uerationi, miserationi, instantiae, indigna
tioni, admirationi: quemadmodū ait Quin
tilianus. Exempla sunt in repetitione & aliis
exornationibus iam posita: & alioqui passim
apud autores obuia.

Ratiocinatio fit; quum nobis ipsi quæstionem proponimus, aut alium proponentem facimus: uel quum ob auditoribus responsum exigimus: aut ab aliqua persona quam fingimus: interdum etiã ab ipso autore quæ interpretamur. Excitat: inquit, Erasmus attentionem ista exornatio, & ad docilitatem apposita est, ac perspicuam reddit orationem ac uiuidam. Exemplũ elegans est apud Terentium in principio Eunuchi: ubi sic Phædría secum. Quid igitur faciam! non eam ne nunc quidem cum accersor ultro! & cætera. Huc etiã referrí potest exemplũ quod posuim⁹ in Cõplexione. Cicero frequenter utit hoc schemate in refutationib⁹.

Sententia est oratio sumpta de uita: quæ aut quid sit, aut quid esse debeat in uita breuiter ostendit: & ut Ligario. Nihil est tã populare quam bonitas. & in Diuinatione. Mihi crede Cæcili, nõ potest in accusando socios uere defendere is, qui cum reo criminũ societate coniunctus est. Quandoquidẽ sententiæ tractatio apud Aphthoniũ inter rhetorica præexercitamenta referẽt: & plurimũ conferre studiosis eloquẽtiæ poterit: nõ abs re fue-

rit hoc loco apponere: præsertim cum aliâ
quoque præexercitamenta suis locis interte
xuerimus. Constat igitur sententiæ tracta-
tio his locis: laude sententiæ, expositiõe, cau-
sa: contrario, cõparatione uel similitudine,
exemplo, testimonio antiquorum: epilogo
breui. Qui loci quo melius possint intelligi,
exẽplũ unũ pingui Minerua tractatũ subiu-
gã. Is uere liber est, q nulli uitiõ seruit.
Quemadmodũ gemmas non corporis mo-
le, sed natiui uigoris bonitate metimur, ita
& dicta debemus insignium uirorũ, nõ uer-
borum numero: sed sententiæ pondere cen-
sere. Frequenter enim fit, ut unica sententia
minima uerborũ periodo circumscrip̃ta uni-
uersam formãdã uitæ rationem contineat:
& intra paucissimas uoculas omnia philoso-
phiæ syncerioris mysteria delitescãt. Cuius
rei documẽto fuerit ea sententia, quæ dicit
illum demum esse liberum: qui nulli uitiõ ser-
uit. Quid potuit dici breui? rursus qd ab-
solutius! Sane si sententiã ipsam penitius
pensiculatiusque explores: nihil inuenies tã
numerosis philosophorum uoluminib9 con-
tineri, quod ea non comprehendat. Quid

enim tāta uoluminum mole philosophi mo-
 liūtur aliud: quam ut nos a uitiis auersos ad
 uirtutis cultum traducant! At qui non aliud
 hac agitur sententia. Quum enim nihil sit tā
 plausibile ac popolare, ut libertas: declarat
 ueræ libertatis studioso connitēdum omni
 ope ad uirtutem, quæ sola liberos nos & no-
 stri iuris efficit, neque ullo seruitutis iugo a-
 stringi hominem permittit. Quisq; enim
 uirtuti nomen dedit: atq; illam solam postha-
 bitis omnib⁹ aliis rebus sectatur: per omnia
 uirtutum officia, utcunq; animo collubitū
 fuerit, libere puagatur: non domini metuit
 uerbera, non iudicis minas, non occultum
 quatiēte animo tortore flagellum. At con-
 tra quisquis fœdis uitiorum habenis collum
 submiserit, is miserrimam seruitutē seruit,
 atq; adeo miseram, ut nulla omnino in re se-
 qui officium possit: quid dico officiū sequi!
 Imo ne alteri quidem uitio indulgere: Quis
 quis enim in auaritiæ iura successit, huic ne
 prodigo quidem licet esse: quisquis desidiæ
 ac torpori se dedidit, is nihil superbum ani-
 mo concipere potest: sed est necesse: ut cui se
 mel affectui seruitutem p̄fessus est: huic uni

seruat, huic uacet: eū solū cogitet ac som-
niet, in eo totus sit. Sunt enim in homine af-
fectus ac uitia uelut nerui quidam ac funes,
qui totū hominē ad se trahūt: si Platonī cre-
dimus: & quadam uelut zelotypia laborant.
Præterea qui uitiosam uitā colit, semper sol-
licitus est & anxius: semper metuit cōscios,
formidat supplicium: perpetuis conscientiaē
stimulis exagitur: & suū secum carnificem
portat: deniq; quibus non tormentis afflicta-
tur! Quorum nihil in eo reperies, quem uir-
tutis uindicta manumiserit: quod quo dilu-
cidius fiat, probum hominē cum improbo
breuiter conferamus. Ille liberam habet per-
omnia uirtutum genera potestatem euagan-
di: hic unius omnino uitii addictus est serui-
tuti. Ille multis gaudet testibus: hic conscios
omnes reformidat. Illius uultus atq; animus
iugi quadam alacritate nitescit: huius mens
continenti maceratur dolore. Ille honorifi-
co conscientiaē testimonio indies recreatur:
hunc diri conscia facti mens habet attoni-
tum & surdo uerbere cedit. Ille præmiū uir-
tutis latus expectat: hic supplicium peccati
miser exhorret. Deniq; ille optatissima fruiſ

libertate: hic desperatissimam ac profligatissimam obit seruitutem. Quod quisquis mihi non crediderit, is oculos atque animum ad Hercule illū tot autorum monumentis celebratum referat: quo quid fuit liberius quam diu uirtuti militauit! nō enim libertatē solū obtinuit, sed etiā dominatū: uictorias consequutus: de quibus nulla conticescet ætas, & nomē adeptus nulla unquam obliuione circūducendū. Verū ubi ad uoluptatis castra profuga trāsīit: eo seruitutis præceps ruit: ut mulierculæ caput sandalio cōmitigādū subiecerit paulo ante totius orbis domitor. Quid uero seruilius: quam quod Sardanapalus ultim⁹ Assyriorū rex, inter mulierculas pensa dispertiēs muliebri habitus sit inuentus! & non solum ipse uiciorū mancīpium fuerit: sed & uniuersam quoque cui præfuit gentem alienæ ditio nis fecerit! Quid dicam de Masanissa Numidarum rege! Nonne post Syphacem captum, & alias insignes uictorias, dum uoluptati modum statuere non potest, uerborū lenocinio uelut de mentis statu deductus: & Sophonisbæ mulieris captiuae amore irretitus: quā iure belli seruam habebat, propria

stultitia, dominam sibi constituit! Sed prolixus sum, si plura exempla adferam ad hanc rem: quæ non tantum potest exemplis comprobari, sed etiam probatissimorum autorum testimoniis confirmari. E quibus Horatius puerorû næniam laudat, quæ regnû recte facientibus offert. Et Socrates quoque variis in locis apud Xenophontem maximam esse libertatem testatur bene facere, & nullam esse turpiorem seruitutem, quam apud malos heros seruitute fungi: nullos porro peioribus seruire dominis, quam qui uitiis seruiunt. Quanquam quid istis opus erat, quum ipsæ etiam Euangelicæ literæ decantent: eum qui peccatû faciat, seruû esse peccati. Quare uideate quanta debeat esse uiciorû: & quam detestanda seruitus: quam tum grauissimi auctores, tum etiam sacræ literæ abominantur: quæ tot potentissimos & clarissimos reges turpiter seruire coegit: quæ passim mortales omnes tot calamitatibus cumulat, atque ediuerso quam optanda sit ea libertas, quæ a uirtute profecta, suis cultoribus cum incredibile utilitate perpetuam ac sinceram largitur uoluptatem.

Sententiæ affinis est Chria, quæ ab utilitate nomen accepit: atque hoc tantum differt, quod sententiæ semper in oratione consistit, Chria aliquando est actiua: & Chria semper personam requirit: sententiæ uero etiam sine persona pronuntiatur. Est autem Chria utilis commemoratio, breuiter continens dictum aut factum alicuius certi autoris: ut Plato dicebat uirtutis ramos ex sudoribus & laboribus nasci. Et est principalis Chriæ diuisio triplex. Namq; interpretes Aphthonii Græcus, alias aliquot ponit: quas tanquam parum necessarias misissimas faciemus. Est igitur Chria aut uerbalis, aut actiua, aut mixta. Verbalis quæ in dicto consistit, hoc est: uel uoce simplici: ut dixit ille aut dicere solebat: aut in respondendo: quemadmodum etiam annotauit Quintilianus libro primo capit. xiiii. ut quando dicimus: Aristippus interrogatus quo differrent docti ab indoctis, respondit: quo equi domiti ab indomitis. Actiua: quum quis non aliquid dixit, sed fecit: ut Pythagoras interrogatus quid esset uita hominum: paulum se conspectui præbuit hominum: mox deinde subduxit. hic non dicto

sed factō declarauit breuitatē atq; incōstantiam uitæ humanæ. huc etiã refert Milonis Crotoniatæ factum: quī, quem uítulum solebat ferre, taurum ferebat. Mixta, quæ ex utroq; cōstat: dicto & facto: ut quod Plutarchus de Sciluro Scytharum rege cōmemorat: q̄ octoginta liberos masculos relinquēs quum esset moriturus, fasciculum iaculorū singulis porrexit, iussitq; rumpere: id quum singuli recusassent eo quod uideretur imposibile: ipse singula iacula exemit atq; ita facile confregit oīa: filios admonens his uerbis. Si concordēs eritis: ualidī inuictiq; manebitis, contra si dissidiis & seditione distrahemini, imbecilles eritis & expugnatu faciles. Locis iisdem tractatur quibus sentētia. Cæterum ponamus huius quoq; exemplum.

Quisquis Platonis scripta attentiore studio reuoluerit: non immerito dixerit illum a diuo Augustino tantis laudibus celebratum atq; ab aliis non poenitendis autoribus diuini cognomine exornatum: p̄pterea quod omnia illius scripta diuinis q̄busdam & christiana religione non indignis sententiis mihi scaturire uident: e q̄bus unū mihi dictū sem

per in primis placuit: quo dicit uirtutis ramos ex sudoribus atq; laborib⁹ nasci. Quæ quidem sententia nihil aliud mihi significare uidetur: quam fieri non posse ut aliquis sine magno labore, ad uirtutis atq; beatitudinis fastigium facile perueniat. Nanq; ita comparatum est, ut quæ optima sunt: maximo cōstent labore: neq; quicq̄ quod quidem sit alicuius momenti, sine multis molestiis acgratur. At contra quæ mala sunt, & nullius momenti, passim obuia uidemus: ac proinde minimo labore: imo uero nullo improbitatem & uitia quemlibet addiscere. Quam sine molestia uideas quæcunq; libidini sese mancipare: quantis uero laboribus constat corporis atque animi puritas! At qui hoc ipsum si per omnia uirtutū atq; uitiorum genera expatieris: eodē modo reperias. Sane sic est: ut loliū & quæuis herba noxia citra arationem ac semetem, ut habet prouerbium, facillime sua pte sponte suppullulat: herbæ uero salubres etiam maxima diligentia excultæ, uix tandem crescunt: ita uicia & quæcunq; alia uirtutum impedimēta, ipsa sese ultro ingerūt; uirtus uero & alia uitæ officia non nisi ma;

xima industria possunt comparari. Et quem
admodum lutum nisi tundatur non fit ur-
ceus: ita & homo nisi assiduus sese laboribus
exerceat, non potest in uirum bonum trans-
formari. Quantis Herculi laboribus stetisse
putatis illam nunquam intermorituram uir-
tutis famam? Quam laboriosos Romanis
Imperatoribus suos fuisse triumphos? Sed il-
los missos faciamus. Quotquot uero cœle-
stem gloriã uita bene honesteq; acta adepti
sunt, quantas illos molestias deuorasse credi-
tis? Excutite uitam omnium sanctorum, atq;
adeo ipsius Christi, qui omnium uirtutum fons
est inexhaustus: neq; quicquam præter meros labo-
res inuenietis: sine quibus nulla omnino uirtus
est parabilis. Quod si uelim omnibus omnium
autorum testimoniis confirmare, nunquam
finiam. Quid enim significat aliud Homerus
quum fingit suum Ulysses non nisi per uari-
os casus & multa discrimina rerum in exo-
ptatam Ithacam reditum esse consequutum?
Quid aliud Hesiodus, quum dicit facilem es-
se uiam ad uicia: uirtutis uero uiam sudori-
bus esse circumseptam? Quid totus ille locus
Xenophontis de uoluptate & uirtute Her-

culem in biuio uitæ hæsitantem compellan-
 tibus: ex Prodico sophista desumpt⁹! Quid
 litera Pythagorica Vergilii! Neque Ethnici
 tantum autores huius rei meminerunt, sed
 multi etiam Christiani scriptores: atq; inter
 illos facundissimus ille Lactantius Firmian⁹.
 quin & Christus ipse testatur, arctam esse
 uiam quæ ducit ad uitam: latã & spatiosam
 quæ ad interitum. Proinde quum tot auto-
 rum testimoniis, tot exemplis hanc rem cõ-
 probatam animaduertamus: præterea etiã
 quotidianis experimentis ita esse uideamus:
 non temere mihi uideor illam Platonis sen-
 tentiam tanquam rem certissimam & uelut
 quoddam instituendæ uitæ compendiũ sem-
 per in primis pbauisse. Et hæten⁹ de Chria
 & sententia: sub qua Quintilianus compre-
 hendit Epiphonema: idest, acclamationẽ,
 quanquam non omnis acclamatio est sentẽ-
 tia. Est uero acclamatio rei narratæ uel pro-
 batæ summa acclamatio. Narratæ: ut apud
 Ciceronem pro Milone. Facere enim pro-
 bus adolescens periculose: quam turpiter per-
 peti maluit. Et ipsa etiam narratio eiusdem
 orationis epiphonemate clauditur. Proba-

tæ: ut exemplum quod ex Diuinatione Ciceronis superius citauimus.

Contrarium. nihil fere discrepat a cōtentione, nisi quod illic tantum uehementiæ, hic etiam probandi causa contraria contrariis opponuntur: ut Cicero in Lælio. Nam si utilitas amicitias conglutinet, eadem commutata dissoluet.

Membrum, quod Græci colon, & Articulus, quē illi comma: Cicero & Quintilianus incisum uocāt: plurimum faciunt ad acrimoniam orationis. Membrum est quod paucis uerbis constructionem absoluit, sententiā non item. ut pro lege Manilia. Quamquam mihi semper frequens uester conspectus multo iucundissimus. hic unum est membrum, hic autem locus ad agendum amplissimus: aliud est membrum. Ex membris fit Periodus: id est ambitus: atque ea periodus censetur absolutissima, quæ tribus duntaxat membris constat. Potest tamen & duobus consistere membris: ut uidere est in principio orationis pro M. Marcello: & pluribus quam tribus: quem admodum fit in exordio Diuinationis & orationis pro Archia poeta.

Articulus, inquit Eras. fit i singulis uerbis bre-
 uī respiratiuncula distinctis. ut in Diuinatione.
 Adductus sum Iudices officio, fide, mi-
 sericordia, multorum bonorum exemplo,
 institutoq; maiorum. Et paulo post. Popula-
 tæ, uexata: funditus eversa: prouinciæ.

Continuatio multis inter schemata nō refer-
 tur: est autē densa & continēs frequentatio
 uerborū cū absolute sententiā: ut apud
 Cice. p M. Marcello. Nulla est enim tanta
 uis tantaq; copia: quæ non ferro ac uiribus
 debilitari ac frangi possit.

Compar graue, est in membris partiū æqua-
 litas: quæ tamē nō digitis, sed auriū sensu di-
 iudicanda est. ut p M. Marcello. Quib⁹ laudi-
 bus efferemus? quibus studiis prosequemur?
 qua beneuolentia complectemur?

Similiter cadens: quando duo uel plura iisdē
 casibus efferuntur. Exemplum posuimus in
 contentione: in donata & commodata. Et
 in Pisonem. quod nondum potestate pote-
 rat, obtinuit autoritate.

Similiter desinēs fit in uerbis eodem modo
 desinentibus: quæadmodū paulo ante in p-
 sequemur & cōplectemur. & in Pisonem: ut

qui maximis sæpe turbibus Reip. nauem gubernassem : saluamque in portu collocassem.

Agnominatio fit in similitudine uocum: cū uox repetit non profus eadē : sed aliqua ex parte immutata : uel adiectione : uel detractione literæ uel syllabæ : uel correptione, uel productione: ut illud in Demosthenem dictum: non anginam, sed argentanginam patit̃ . & in Diuinatione . Non te literas in Verrem deportare , sed asportare uelle ex Sicilia suspicantur . Huic addunt schema, quod dicitur Polyptoton: quoties mutatis casibus eadem iteratur subinde dictio: ut in eadem oratione . Siculi ultorem iniuriarum suarum inuenerunt , tu dum tuas iniurias per te , id quod non potes persequi conaris , id agis ut cæterorum quoque iniuriæ sint impunitæ atque inulta.

Subiectio , de ea dictum est in argumentationibus rhetoricis.

Gradatio multum exornat orationem , ea inquit Quintilianus repetit quæ dicta sunt & priusquam ad aliud descendat in prioribus resistit . ut pro Archia poeta . Sic aduentus

eius celebrabatur : ut famam ingenii expectatio hominis, expectationem ipsius aduentus admiratioque superaret. Et pro Milone. Neque uero se Populo solum, sed etiam Senatui tradidit, neque Senatui modo, sed etiam publicis praesidiis & armis: neque his tantum: uerum etiam eius potestati, cui Senatus totam Remp. commiserat.

Diffinitio: de hac dictum est in constitutione legitima. utitur ea Cicero in Pisonem. Fortunae ista tela sunt, non culpae. Supplicium autem est pena peccati. Et in oratione pro P. Sextio. Vbi differit qui sint populares, qui optimates. Sunt quoque diffinitionem schematum numero eximant.

Transitio reuocat in memoriam quae dicta sunt, & indicat quae sunt dicenda: ut in Diuinatione. Nunc quoniam quibus rebus adductus ad causam accesserim demonstraui: dicendum necessario est de contentione nostra: ut in constituendo accusatore: quid se qui possitis, habeatis. Quibus modis fiat transitio declarat Erasmus de copia uerborum: cap. liii.

Correctio tollit uocem semel positam: & aliam

commodiorem substituit. Cicer. p Milone.
Quid! quæ postea sunt in eū congesta, ut su-
stinuit: dii immortales! sustinuit: imo uero
ut contempsit ac pro nihilo putauit! Quib⁹
modis fiat correctio uide apud Eras. de co-
pia uerborum cap. lxv.

Occupatio: hanc exornationem alii aliter in-
terpretantur: Sunt q̄ occupationē uocant:
quam Quintilianus præsumptionē, Græci
plepsin dicūt; quū id quod obici potest oc-
cupamus: quemadmodū ante diximus Cice-
ronē fecisse in Diuinatione. Alii & autor rhe-
torices ad Herenniiū occupationē appellat,
quam Rhomanus Aquila præteritionem di-
cit: quando in transcurſu quis dicit: quod ne-
gat se uelle dicere: ut apud Cice. p rege De-
iolaro. Crudelis Castor, ne dicā sceleratum
& impiū. & p Ligario. Ne hæc quidem colli-
go, quæ fortasse ualerēt. legatus ante bellū
pfectus est: relictus in pace: bello oppressus:
&c. Fit autē hæc figura his ferme modis, in-
quit Eras. Non hic cōmemorabo, quātis pe-
riculis obnoxia sit hæc uita. Nō est mei pu-
doris occultorū scelerū lernam mouere. Pu-
det me dicere, qđ istos nō puduit facere. Ve

nit ad nos pastor: pene dixerã de pastor. Hæc sunt edicta regis, nolim enim dicere tyrãni. Vertit Aristotelẽ, ne dicam peruertit.

Disiunctio: exornatio est cõtraria zeugmatis, quãdo nõ ad multa unũ uerbũ referit: sed singula suo uerbo concludunt: ut apud Cice. p M. Marcello. Verũ animũ uincere: iracundiã cohibere, uictoriã temperare. &c.

Coniunctio est quam Grammatici uocant mesozeugma: quãdo uerbum illud, aut etiã adiectiuum, ad quod multa referuntur in medio ponitur: ut p Archia poeta. Nam cæteræ res neq; temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum.

Adiunctio est in qua, inquit Quintil. unum ad uerbũ plures sententiæ conferunt: quarũ unaquæq; desideraret illud, si sola poneret.

Continet ptozeugma & hypozeugma: hoc est uel præposito uerbo fit quo reliqua respiciant: ut apud Ciceronem. Vicit pudorẽ libido, timorẽ audacia: rationem amẽtia. aut illato: quo plura clauduntur. ut in Diuinatione: Quæ studia hominũ: qui concursus futuri sint. Et pro lege Manilia. Hoc aditu laudis qui semp optimo cuiq; patuit: me

non mea uoluntas, sed uitæ meæ rationes
ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt:
Conduplicatio est, quam Quintilianus Ge
minationem uocat. Rhomanus Aquila huic
schemati subiungit iterationem, sed diffe
rentiam notat: ut iteratio sit unius uerbi,
uelut apud Ciceronẽ in Diuinatione. Huic
ego hominĩ iam ante denuncio: rationem
illĩ defendendi totam esse mutandam: & ita
tamen mutandam: ut meliore & honestio
re conditione sit. Et pro Milone. Vos uos
appello uirĩ fortissimi. Conduplicatio ue
ro totius orationis geminatio, qualis est a
pud Terentium in Phormione. Pro deum
immortalium fidem, Negat Phaniũ esse hanc
sibi cognatam Demiphos! Hanc Demiphos
negat esse cognatam! Plurimum confert ad
uehementiam orationis.

Interpretatio synonymia fit quãdo, Inquit
Rhomanus Aquila, uno uerbo non satis ui
demur dignitatem aut magnitudinem rei
demonstrasse, ideoquẽ in eiusdem significa
tione plurima conferuntur: ut in Diuinatione.
Nunquam ille me opprimit consilio: nũ
quam ullo artificio peruertet: nunquam in

genio me suo labefactare atque infirmare conabitur. Et pro Milone. Tanta uirtus ex hac urbe expelletur! exterminabitur! eiicietur! Quintilianus Congeriem uocat: in qua hoc est obseruandum: ut in postremo sit quædam Emphasis: quemadmodum in exemplo Ciceronis iam posito grauius uidet & uehementius, eiicietur quam expelletur.

Commutatio plurimum habet uenustatis in uerso ordine sententiæ: ut in Diuinatione: Quos intelligis non ut per te alium, sed ut per aliquem teipsum ulciscantur, laborare. Et pro Archia poeta. Illud etiam adiungo sæpius ad laudem atque uirtutem: naturam sine doctrina: quam sine natura ualuisse doctrinam.

Permissio, quum aliqua ipsis iudicibus relinquimus æstimanda, aut aduersariis quoque: quale est illud Calui in Vatiniū, apud Quintilianum. Perfrica frontem: & dic te digniorem, qui Prætor fieres, quam Catonem. Permissio plurimum facit ad misericordiam, quando nos nostraque omnia, Iudicum aut eorum quibuscum agimus iudicio permittimus.

Dubitatio est quādo inquit Quintil. simula-
mus quærere nos, unde incipiēdum: ubi fi-
niendū: quid potissimū dicendū: an omnino
dicēdum. Cui⁹ elegās est exēplū in fine ora.
p L. Murena. Si hunc uestris sententijs affli-
xeritis, quo se miser uertet! domum ne! &c.
nā locus plixior est quā p præsentis institu-
ti breuitate. Et p Q. Ligario. Itaq; quo me
uertā nescio. paratus enim ueneram. &c.

Dubitatiōi affinis est Cōmunicatio: cum
aut ipsos aduersarios consulimus. Cuius ele-
gans est exemplum apud Ciceronem p P.
Quintio: ubi cum Næuio deliberat, quo-
modo erant consulendi prudentes prius
quam ad tam indignam controuersiam de-
scenderet. Multum ualet hæc figura ad ob-
iurgādum. ut, hic tuam appello consciētā,
an ferres hoc ab alio factū, quod tibi nunc
uis esse impune! Aut etiā fit quādo cū iudici-
bus quasi deliberamus: ut apud Cic. Act. pri-
ma in Verrē. Nunc ego iudices iam uos con-
sulo: quid mihi faciendum putetis, id enim
consilii mihi profecto taciti dabitis, qđ ego
met mihi necessario capiendum intelligo.
Expeditio est, quam in argumentationibus

Rhetoricis Enumerationem diximus.

Dissolutio, quam Græci Afyndeton: Romanus Aquila solutum uocat: est quādo oratio coniunctionibus caret: apta inqt Quintilianus figura, quando instantius dicimus. Exempla passim sunt obuia, & aliqua superioris dicta.

Præcisio est, quam Cicero Reticientiam uocat: quum abrupto sermone affectū uel iram ostendimus: ut apud Terentium in Heauton. Non mihi per fallaciam adducere ante oculos: pudet dicere hac præsentē uerbum turpe: at te illud nullo modo facere piguit. Conclusio, de ea diximus in argumentationibus rhetoricis.

De Tropis.

Nominatio Onomatopœia, est nominis fictio: ut apud Ciceronem ad Atticum. Syllaturit animus & proscripserit. uide Erasmi de copia uerborum cap. xx.

Pronominatio. Antonomasia est nominis permutatio: fit uel indignationis: uel emphaseos uel laudis causa: ut si dicamus pro fure Verrem. pro homine iusto. Q. Mutium: quem

admodum fecit in Diuinatiōe Cicerō, pro molli Sardanapalum. Huc pertinet Epitheton: ut quando apud Terentium ponitur senex pro persona heri: apud Liuium Pœnus pro Hannibale. De Antonomasia uide Erasmus de Copia uerborum capit. xiiii. & de Epitheto uide eundem in libro de copia rerū: de septima locupletādī ratione, de utroque Quintil. lib. viii. cap. ultimo.

Denominatio Metonymia. Est quum inflexio commutatoque uerbo res eadem ornatius enunciat. Grauis, inquit Cicero, in oratione modus & saepe sumendus. Ex hoc genere sunt toga pro pace: arma pro bello. Hac utitur exornatione Terentius cum dicit. Sine Cerere & Baccho friget Venus. De hac quoque exornatione, quemadmodū de reliquis fere omnibus tropis copiose scribit Erasmus de copia uerborum.

Circuitio. Periphrasis, quando quod uno uerbo aut paucioribus certe dici potuit, pluribus explicatur. Fit uel ornatus uel uerecūdiæ, uel dignitatis causa. Per periphrasin dixit Horatius scriptorem belli Troiani, pro Homero. Et Cicero pro Archia poeta: hæc

dicendi ratio & disciplina: p eloquentia.

Trásgressio: Hyperbatō. Hác exornationē,
 ut ait Quintil. lib. viii. circa fi. frequenter ra-
 tio cōparitionis (ubi alij legūt cōparationis:
 quorū neutrū mihi placet: & nescio an meli⁹
 legat cōpositiōis) & decor exposcit: neq; im-
 merito inter uirtutes habet: fit enim frequē-
 tissime aspera & dura & dissoluta & hians or-
 ratio: si ad necessitatem ordinis sui uerba re-
 digantur: & ut quodque oritur, ita proximi-
 mis etiam si uinciri non potest, alligetur: dif-
 ferenda igitur quædam & præsumenda, ut
 in structuris lapidum impolitiorum fieri uis-
 dem⁹: nec aliud potest orationem facere nu-
 merosam, quam oportuna ordinis muta-
 tio. Huius rei elegantissimum exemplum est
 in oratione pro Archia poeta. Decius qdem
 Brutus summus ille uir & imperator Accii
 amicissimi sui carminibus templorū & mo-
 numentorum aditus exornauit suorum.
 Superlatio: Hyperbole. Est oratio augendi
 aut minuendi causa ueritatis modum exce-
 dens. ita dicit Cicerō in secunda philippica:
 Antoniū totū tribunal impleuisse uomitu.
 Et p lege Man. Plura bella gessit quamcæte

relegerūt. Ita dicimus. Min⁹ habet, q̄ nihil.
Intellectio Synechdoche: alii Cōprehensio
nē appellāt. est figura Metonymiæ finitima:
minus q̄dem ornata: ut ait Cice. in tertio de
Oratore ubi de tropis & aliis q̄busdam exor
nationibus tractat) sed tamē non ignoran
da, cum intelligi uolum⁹ aliquid: aut ex par
te totum: ut pro ædificiis cum parietes aut
tectā dicimus: aut ex toto partē: ut cū unam
turmam equitatum Po. Ro. dicimus: aut ex
uno plures: ut Romanus prælio uictor, aut
quādo ex pluribus intelligit̄ unus: ut quan
do de nobis ipsis pluraliter loquimur.

Abusio Catachresis. Necessaria inqt Quin
tilianus, exornatio: quæ nō habentibus no
mē suū accōmodat ex pximo: ut quum gē
mas protrudere dicimus de uitibus, aut luxu
riem in herbis: lætitiā in segetibus: ita Ver
gilius: Instar montis equum diuina Palladis
arte Aedificant.

Translatio. Metaphora: trop⁹ inqt Quintil.
cū frequētissimus tū longe pulcherrimus: q̄
fit quādo nomē aut uerbū transfertur ex lo
co in quo propriū est: in eum in quo aut pro
priū deest, aut translatū pprio melius est.

Quando uero deest propriū & fit necessitatis gratia, est abusio, quādo elegantia & uenustatis gratia sumitur: metaphora est. Cuius exemplum est apud Cice. pro M. Marcello: flumē ingenii: pro Milone: ubi Clodiu dicit fontem gloria: & alio loco segetē & materiā gloria Milonis. Quā uariis modis fiat trāslatio & quæ sint in ea uitāda: diffuse docet Cicerone li. tertio de Oratore. & Quintil. lib. viii cap. sexto. & Eras. de copia uerborū.

Permutatio. Hoc nomine tres exornatiōes cōprehēdunt: allegoria, ænigma & ironia, idest illusio. Allegoria: quā Quintil. interpretat inuersionē. est quādo aliud uerbis: aliud sensu ostendit: ut apud Cic. nauē pforat in qua ipse nauiget. Plerūq; tamen aliqd addit quod metaphorā aut allegoriā explicet, ut apud Cic. in Pisonē: neq; ego fui tā timidus: ut qui maximis sæpe turbinibus Reip. nauē gubernassem, saluāq; in portu collocassem, frōtis tuæ nubeculā aut collegæ tuī cōtaminatū spiritū ptimescerē, alios ego uidi uentos, alias prospexi animo procellas: aliis tempestatibus nō cessi: sed his unū me p' omnī salute obtuli. Aenigma est allegoria obscu-

rior: qualls uideri potest allegoria quã prio-
re loco posui. Ironia uero aut pronuntiatio
ne intelligitur: aut persona aut rei natura: ut
C. Verres homo sanctus & diligens.

Exornationes sententiarum.

Distributio est quæ singulis personis aut re-
bus dispertitur ea quæ conueniunt: ut apud
Ciceronem in Diuinatione. Quas res luxu-
ries in flagitiis: crudelitas in suppliciis: auari-
tia in rapinis: superbia in contumeliis effice-
re potuisset. &c. & pro M. Marcello. Domui
sti gentes immanitate barbaras: multitudi-
ne innumerabiles: locis infinitas: omni copia-
rum genere abundantes.

Licentia, exornatio est quæ ad hoc adhibet
ut mitiget quæ uidentur liberius dicta, ne
offendant auditorem: id fit hoc modo. Igno-
scite si uidebor æquo liberius dicere: &: si uos
offendit sermo liberior, illis magis æquum est
indignari: quorum improbitas ut hæc dice-
rem impulit. Utitur multum libertate Cic.
p. Sex. Roscio Ame. & etiam p. Q. Ligario.
Habet uero libertas aliquando latentem adula-
tionem. Nam cum Cicero dicit pro Ligario.
Suscepto bello Cæsar, gesto iam parte ex ma-

gna pte, nulla uí coact⁹: cōsillo & uolūtate
mea ad ea arma pfectus sum, q̄ erāt sumptā
cōtra te. Non solū, inquit Quintilianus, ad
utilitatem Ligariū respicit, sed magis lauda-
re uictoris clementiam non potest.

Diminutio facit ne quod aduersario dicit,
arroganter dictum uideatur: ut apud Cice-
ronem in Diuinatione. Fortasse dices: quid?
ergo hæc in te sunt omnia! utinam quidem
essent: uerūtamen ut esse possent: magno stu-
dio mihi a pueritia est elaboratū! ita Cicero
passim eloquentiam suam extenuat.

Descriptio est quæ rerum consequentiā po-
nit ab oculos. Exemplum est elegans apud
Ciceronem pro Sex. Roscio Amerino. Hoc
cogitetis nisi in hac causa, qui uester animus
sit ostendetis: eo prorumpere hominum cu-
piditatem & scelus & audaciam: ut non mo-
do clam uerum in foro ante tribunal tuum
M. Fanni: ante pedes uestros Iudices, inter
ipsa subsellia cædes futuræ sint &c.

De diuisione superius dictum est in argumē-
tationibus.

Frequētatio argumēta fusius ac sparsim tra-
ctata, uelut in unum fascem collecta subiicit

oculis: quod Cicero fecit eleganter in oratione pro lege Manilia ad hunc modum. Multa prætereo cōsulto: sed ea uos coniectura perspicitis: quātū illud bellum factum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes: suscipiāt integræ gentes, nouus Imperator uester accipiat uetere expulso exercitu. Exemplum quod hoc loco ponitur in Rhetoricis ad Herēnium: eleganter admodum cōplectitur omnes locos constitutionis coniecturalis.

Expolitio mihi uidetur esse Chria uel argumentatio constans quinque partibus: de utroque dictum: qui plura uolet petat ex Erasmo de copia rerum. Expolitionis elegans est exemplum totus ille locus Ciceronis pro Archia poeta de studio laudis & gloria.

Commoratio, inquit Cicero, una in re per multum mouet: est autem quā in loco firmissimo quo tota causa continetur, manet diutius & eodem sapius reditur: ut fecit Cicero in Diuinatione: quod Quaestor prætorē more maiorum accusare non posset.

Contentio, est Enthymema: sentētia ex cōtrariis: ut Cī. pro Archia poeta. Saxa & soli

tudines uoci respondent: bestiaæ sæpe imma-
nes cantu flectuntur: nos instituti rebus o-
ptimis non poetarum uoce moueamur! &
quæ sequuntur.

Similitudo quid sit notius est quam ut diffi-
nitione debeat explicari. Exemplū est apud
Cice. in secunda Philippica. Ut qdam mor-
bo aliquo & sensus stupore suauitatem cibi
non sentiunt, sic libidinosi, auari, facino-
rosi ueræ laudis gustū non habent, huic sub-
iungitur dissimile, quale est apud Ciceronē
in tertia Philippica: non certus dies. ut sacri-
ficii; sic consiliū expectari debet: utrunq; cō-
plexus est Quintilian⁹ libro primo capi. iiii.
Non enim uox illa præceptoris ut cæna mi-
nus pluribus sufficit: sed ut sol uniuersis idē
lucis calorisque largitur.

Exemplum, est rei gestæ uel peinde ut ge-
stæ utilis ad persuadendum commemora-
tio. Exempla omnibus in rebus primas te-
nent: siue deliberes: siue exhorteris, siue con-
soleris, siue laudes siue uituperes. Vnde su-
mantur & quomodo tractentur ac dilatentur
non minus utiliter quam diffuse præcipit
Erasmus de copia rerum.

Imago est similitudinis species, quando ex
primitur, inquit Quintilianus, rerum aut
personarum imago. Ita diuus Petrus ad-
uersarium nostrum leoní comparauit: ita &
gloriam quidam contulit crocodilo, quod
sequentes fugiat: fugientes sequatur.

Effictio species est hypotyposesos, quæ ipsã
hominis formam uelut pictura quadam po-
nit ob oculos: idque apposite ad id quod a-
git: siue inuisum uelit reddere, siue suspicien-
dum: cuius rei in attributis personarum me-
minimus. Huius rei elegans exemplum est p
Roscio Comoedo: Oro atque obsecro uos
qui nostis, uitam inter se utriusque cõferte:
qui non nostis, faciem utriusque considera-
te: nonne ipsum caput & supercilia illa peni-
tus abrafa: olere maliciam & clamitare calli-
ditatem uidentur! nõ ab imis unguib⁹ usq³
ad uerticem summum: si quam coniecturam
affert hominibus tacita corporis figura, ex
fraude, fallaciis, mendaciis constare tot⁹ ui-
detur! q³ idcirco capite & superciliis semp est
rasis: ne ullũ pilũ uiri boni habere dicat.

Notatio est quæ mores & ingenium cuiusq³
suis depingit colorib⁹: uelut si describas ima

ginem luxuriosi, gloriosi, iracundi: ut apud Teren. Gnatonis & Thrasonis ac Demæ. Sermocinatio est, quæ unicuique sermonem affingit cum decoro: quemadmodum Cicero in Diuinatione bis Siciliam introducit loquentem: hoc est Siculos simul omnes: & p Quintio sæpe Nævium.

Cōformatio est Prosopopœia: idest psonæ fictio. Hæc figura inquit Rhomanus Aquila plurimum in se continet dignitatis, cum Remp. ipsam loquentem inducimus: ut fecit Cicero in prima in Catilinã: aut defunctos aliquos quasi excitamus ab inferis & loquentes facimus. Talis est illa pro Cælio Appii Cæci persona contra Clodium inducta: mulier quid tibi cum Cælio? quid cum adolescentulo? quid cum alieno?

Significatio Emphasis: est figura altio rem præbens intellectum quam uerba per se ipsa declarant: ut apud Ciceronem pro Ligario: Si in hac tanta tua fortuna, lenitas tâta non esset, quantam tu per te, per te inquam obtines, intelligo qd loquar. Tacuit inqt Quintilianus, illud quod nihilominus intelligim⁹ non deesse homines: qui ad crudelitatem il-

um impellant. Fit hæc figura per hyperbo-
len: ambiguum, consequentiam, abscisio-
nem, similitudinem. De ambiguo exemplū
est, quod Cicero interrogatus, quando oc-
cisus esset Clodi⁹, respondit: sero. potest e-
nim & ad spacium & ad speciem temporis re-
ferri. De similitudine est exemplum diui Hie-
ronymi: memento Daretis & Entelli. de reli-
quis iam dictum est suis locis.

Breuitas est quando res ipsis tantummodo
uerbis necessariis expeditur: ut apud Cic. p
Milōe. Hæc sicut exposui ita gesta sunt Iudi-
ces: insidiator supatus, uī uicta uīs: uel poti⁹
oppressa uirtute audacia est: aliud exemplū
est in Frequentatione.

Demonstratio hypotyposis: est quando res
ita subiicitur oculis, ut geri uideatur. Exem-
plum est apud Ciceronē pro Sex. Ros. Ame-
rino. Nonne uobis hæc quæ audistis. cerne-
re oculis uidemini Iudices! non illum misē-
rum, ignarum casus sui: redeuntem a cœna
uidetis! Et quæ sequunt. Et etiā in Diuina,
ubi Cicero describit quomodo Hortēsius
elusus est Cæciliū, si contra illum dixerit:
Atq; hæc pro elocutione sufficiant.

Memoria præcipue constat ordine & exercitatione, quæ de artificio eius traduntur, ex iis petere licebit, qui commentarios ea de re conscripserunt.

Pronunciationis ratio nunc aliquâto est alia atq; olim fuit: eius præcipuum momentum ex iudicio: & peritorum imitatione constat: si illud meminerimus, uerecundiam temperatam pbari in actione.

De Imitatione.

Hactenus artem tractauimus: eam sequi debet imitatio, in qua modis omnibus dâda est opera, ut uigilemus in deligendo, neque quosuis nobis imitandos proponamus, sed eos qui dicendi gloria cæteris præstant, atque ubi delegerimus, quæ maxime in illis uidebuntur excellere: ea diligentissime persequamur. Est autem imitatio duplex: uerborum & rerum: prior est uerborum: potior rerum. Et uerborum quidem imitatio in eo potissimum consistit: ut stylo & dictioni eloquentissimorum autorum assuescamus: quæq; ab illis uenuste dicta deprehendimus, ea nostræ compositioni sedulo accommodemus: quod tunc de

mum commodius præstare poterimus, si diligenter exploremus, qua utantur uerborum copia & uarietate figurarum, quam habeant componendi rationem: quibus dicendi uirtutibus emineant: quid denique stylo uariant: nam sua cuique sunt peculiaria quædam: aliam enim dicendi rationem animaduertas in T. Lúio: aliam in Cicerone: uelut quod gaudeat repeterere antecedens: ut si quod tempus acciderit: quo tempore: &c. in quo uidetur imitatus Terentium: & quod delectatus uideatur si orationem hoc pacto clauderet, esse uideatur: quo uno Quintilianus ait quosdam sibi uideri satis Ciceronem exprimere: Sed hæc non nisi multa & attenta optimorum autorum lectione consequi possumus. Imitatio rerum quibus constat, eleganter docet. Quintilianus in fine capituli secundi: lib. x. Nimirum si illuc mentem intendamus, quantum sit in optimis autoribus decoris in rebus atque personis, quod consilium, quæ dispositio: quam omnia etiam quæ uidentur delectationi data, ad uictoriam spectent: quod agatur in processu: quæ ratio & quam uaria narrandi: quæ uis probandi ac refellendi: quanta in affecti-

bus omnis generis mouendis scientia.

De Exercitatione.

Imitationi succedere debet exercitatio, qua illum, quem ante delegimus, imitando effingamus: atque ita exprimamus, ut uirtutes illius imitando consectemur: alioqui per dita fuerit opera & impensa, quam in hoc studio posuimus. Cæterum quomodo fieri debeat exercitatio, scite admodum mihi uideſt ostēdisse Rodolphus Agricola lib. de inuētionē Dialectica: tertio. cap. xvi. Inſitio, inquitens, satis habebit, tractatas ab aliis, quos imitari uolet quæſtiones: etiam ipse tractare: eadem que ferme dicet, quæ illi. Interim tamē ne nihil agat, ordinem mutabit, si poterit, quæſtionum, argumentationum, partiumq; argumentationis cuiusq; uel omnium horum uel quatenus res permittet: ita tamen ut speciem ordinis aliquam & ipse assequatur: tum uidebit si qua quæſtio uel argumentatio possit a se adici: quas ille, cuius ductum sequitur, sibi sumpsit: hinc paucis collectam argumentationē pluribus explicet. Quæ strictim breuiterq; dicta sunt ab alio: copiosius ipse, quæ ubertim alius, ipse angustius dicat: non

quía sua meliora putet : sed ut hoc pacto si-
cut pueri solent : proximis quibusque appre-
hensis, ponere gradum discat. Posthæc quæ-
stionem aliquam simillimam propositæ acci-
piat: hic eam omnem inuentionis dispositio-
nisque rationem : quam obseruatã in exem-
plo uidet, quatenus potest consequat̃, hinc
eis quæ dicta sunt ab aliis: contradicere inci-
piet aduersariiq; tueri partem : ita paulatim
consummato robore incipiet relicto, ut di-
citur nido, suo uolare arbitrato. Hactenus
Rodolphus.

F I N I S.

Impressum Salmanticæ. Anno salutis no-
stræ: M. D. XX XVIII.
XVI. Calen. Maias.



